






1
6
255









100


X

VOGLER

introd. in Not.

Scriptor. c

in MEIB



VALENTINI HENRICI
VOGLERI

INTRODUCTIO UNIVERSALIS

IN NOTITIAM CUJUSCUNq;
GENERIS BONORUM
SCRIPTORUM

CUM NOTIS ET AUGMENTO
HENRICI MEIBOMII.





HELMESTADII,

Typis & sumptibus GEORG-WOLFGANGI HAMMII,
Acad. Typogr. M DC XCI.

Ex Legato Dnd. Equitis Antonii Francisci de Marmi

MAGNIFICO NOBILISSIMO
PRUDENTISSIMOQUÆ
VIRO,
JOHANNI OTTONI
WITTEN JCto,
SERENISSIMI PRINCIPIS,
JOHANNIS FRIDERICI,
DUCIS BRUNSVICENSIS AC
LYNEBURGENSIS,
CONSILIARIO INTIMO ET
VICE-CANCELLARIO,

S. P. D.

VALENTINUS HENRICUS VOGLERUS.

BOnorum librorum notitia bonæ eruditionis magna pars esse perhibetur. Idque sane non uno merito. Ut enim quod infimum omniumque minimi pretii esse, nec ad quorumcunque usum

perinde ſeſe diffundere videtur, inde proficiſcens bonum primo loco commemorem, utique nullum non elegantioris doctrinæ ſtudioſum illa ita decet ut quam maxime. Multa videlicet ſunt ad artium ac ſcientiarum, cujuscunque generis eæ demum fuerint, etiam viliorum plebejarumque, acquiſitionem facientia. Alia quippe ſimpliciter nemini citra damnum debent vel poſſunt ignorari: alia non habere perſpecta nihil quidem derogat ipſarum magiſtris, eadem tamen tenere ad eorum laudem atque exiſtimationem conducit. Inter quæ quidem rurſus haud exiguum intereſt diſcrimen, quod alia propius, alia longinquius eo pertineant, alia item majoris, alia minoris ſint momenti. Quod omne circa diſciplinas illas, quæ proprie doctum hominem reddunt ac denominari faciunt, tanto illuſtrius conſpicitur, quanto majoris eæ ſunt amplitudinis quantoque præſtantioris dignitatis. In omnibus autem, quæ ad laudabilem in eo genere πεϱιεϱγίαν ſpectant, ſi non principem, certe minime poſtremum locum ſibi vendicat, cujus commendationem nunc ſuſcepi, ſcriptorum librorumque cognitio. Quod ſi enim peregrina quæque in ſe ſpectata minus eruditionem juvant, gratiam tamen ac decus conciliant; certe quæ proxima neceſſitu-

dine

dine cum illa conjuncta sunt, item quorum peritia gravissimum affert pondus, multo maximo esse oportet ornamento. Numquid autem ab illa minus alienum vel excogitari potest, aliorum doctrina præstantium hominum, & quæ ab iis profecta sunt, ingenii monumentorum notitia? numquid etiam vel æqualis vel majoris momenti?

Præterquam vero quod eruditorum τοὺς χαρακτῆρας apprime decet, magis insuper isthæc laudari meretur propter insignes, quas affert, utilitates. Quibus quum vulgo plerique omnes mortales cuncta metiri soleant, etiam nunc eæ maximopere sunt attendendæ: quamquam summa rei evidentia neminem nisi brutum eas latere temere permittit. Manifestum sane emolumentum redundat in historiam. Quæ quum res divinas & humanas, naturales & civiles, publicas & privatas, adeoque totius universi memorabilia ambitu suo comprehendat; non minus etiam fructum è scriptis, quibus illa consignata posteritati traduntur, oportet promanare longe uberrimum, Eadem plane ratio est præclararum cujuscunque generis artium atque scientiarum. Omnium quippe singularumque primordia, progressus, incrementa, decrementa, adeoque mutationes atque universa fortuna, iti-

dem tantum non unice ex litterarum monumentis certo addiſcuntur. Quo ſimul etiam pertinet cognoſcere, quid & à quibus ad ſingularum complementum faciens ſit præſtitum, quid impugnatum, quid aſſertum. Hæc omnia quippe habere comperta ad veritatis etiam inquiſitionem multo plurimum ſæpe conducit. Quæ ſummatim propoſita per ſingulas ſpecies eundo ita ſeſe habere reapſe quilibet periclitaturus experietur.

Quin immo omnibus hiſce de cauſis iisdemque nominibus ſummopere quoque neceſſaria eſt illa ipſa notitia. Non deſunt quidem & alii modi quidpiam divulgandi & ab oblivione vindicandi: ſed qui cum illo, qui ſcriptorum ope præſtatur, in contentionem venire poſſit, omnino reperitur nullus. Per ἄγραφον enim traditionem non niſi pauciſſima propagari queunt; quæ ſimul variationi perquam ſunt obnoxia, præſertim ſi ſubinde mutantur mutandique ſunt traditores: quum illa quoque, quæ vix dum contigerunt, nunc additamentum, nunc imminutionem, plerumque ἀλλοίωσιν quandam ſoleant ſentire. Quæ metallis lapidibusque vel inſculpuntur vel imprimuntur, aut ex illis fuſis parantur monumenta, diuturna quidem ſunt, maximeque ferunt ævum, veniuntque ex parte

qua-

quadam in censum documentorum litterariorum: tamen ex iis etiam perpauca duntaxat discuntur, ipsaque ferme nihil aliud sunt, atque compendiaria mnemosyna vel alias fidem facientia signa. At ipsas historias integrasque narrationes non nisi ex commentariis scriptisque codicibus petere datur, hisque solis demum omnis rerum gestarum memoria omnisque doctrina optime certissimeque conservatur. Quibus proinde nec historia, nec præclaræ artes atque scientiæ, nec ipsa demum veritatis investigatio ac dijudicatio, citra manifestum dispendium carere possunt. Ad isthæc autem omnia non bonorum duntaxat, sed malorum quoque scriptorum notitia necessario requiritur. Neque enim vel meliora desiderare & amare, vel deteriora fugere & odisse quis potest, utraque prorsus ignorata. Ita vero consulto loquor. Haudquaquam videlicet me præterit, prava vulgo tutius nesciri, quam constare: quum sæpenumero plus prosit ignorantia vitiorum virtutum commendatione. Quomodo semper ingenium humanum proclive est in malorum disciplinam, & animo facillime inhæret eorundem memoria. Nihilominus vitari nequit, cujus plane nulla notitia datur. Et vero peritia cujuspiam rei perquam est diver-

sa,

sa. Nec in omnibus æque accurata requiritur. Quæ quidem ut omnino competit nonnullis, ita rudis ex adverso multis sufficit. Prudentes etiam intelligentesque, quibusque pura atque integra mens est, nihil vitii ex talium cognitione contrahunt. Pravis autem nihil etiam tam bene nihilque tam sancte dici scribique potest, quin in male sentiendi agendique occasionem nequiter id arripiant detorqueantque.

Tot igitur ac tanta, tamque necessaria commoda ut quis consequatur, quoniam notitia illa præstat, quin in magno pretio sit habenda, nefas utique fuerit dubitare. Nec tamen idem pretium eandemque laudem cuilibet tali notitiæ deberi, non minus itidem in propatulo est. Multiplex videlicet ea quum sit diversorumque generum, etiam fructus inde provenientes perquam dispares esse oportet. Aliorum præterea usibus exigua paucorumque scriptorum notitia sufficit: aliis major quidem conducit, tamen unius alteriusve duntaxat generis: alios demum amplissima perque universum bonæ eruditionis ambitum diffusa juvat. Ipsamet etiam notitia in sese spectata nunc rudior, nunc accuratior, nunc magis minusve talis vel talis est. Sine dubio igitur tanto

præ-

præſtantior quælibet debet haberi, quanto fuerit utilior: primasque proinde inter omnes tenebit, è qua maximum redundat emolumentum, quæque plurimis uſui eſſe poteſt. Ea vero eſt, quæ non duntaxat communiſſimam nudamque nominis, ſive ſcriptoris, ſive ſcripti, ſimilemve peritiam gignit, ſed præterea quoque ſimul in penitiorem cujusque cognitionem deducit, & iisdem cum universâ bona eruditione finibus terminatur. Ad id autem, ut intimius libri pernoſcantur, præter reliqua ad plenam & accuratam eorum notitiam facientia, potiſſimum requiritur ſcire, quomodo in eo argumento, quod quisque ſibi tractandum delegit, ſeſe geſſerit, item laudemne meruerit, an vituperationem? Eaque habere percepta, omnium demum præſtantiſſimum eſt, maximeque conducit. Ab illa tamen, quæ nomina & ejusce generis alia ſcriptorum ſuggerit, reliquæ hujus cognitionis ſpecies initium capiunt: & ſicuti ſcriptores ad universam bonam eruditionem pertinentes noviſſe maxime præclarum eſt atque excellens: ſic idem ſeorſim in ſingulis ejusdem generibus: nullique proinde notitiæ non ſua eaque certiſſima conſtant merita.

Tametſi vero cuncta iſthæc exploratæ ſunt veritatis, quibusque nullo jure quisquam refragari

queat; adeoque notitia illa maximopere eſt commendabilis, ac quibuscunque fieri poteſt modis juvanda & promovenda: tamen haud deſunt, quibus plane alia, atque mihi, mens aliusque animus eſt. Enimvero dantur, qui libros primis chartis, utpote quæ ſingulorum integra nomina inſcripta gerunt, adeoque quaſi faciem eorum præbent, dedita opera privantes id agunt, ut illis abolitis eosdem ſibi comparandi copia aliis denegetur. Nonnulli ab ejusmodi manuum violentia quidem abſtinent, nihilominus omnino nullum laudant, ſed omnes æque pro ignotis habent, etiam illos & maxime quidem, quos tamen in familiarem & ferme quotidianum uſum adſciverunt. Quidam ſententiam de ſcriptoribus librisque rogati, vel alias in eorum mentionem data occaſione incidentes, non quidem nihil eo faciens afferunt, at ſæpe longe infra meritum juſtoque parcius: immo quandoque multis modis elevant, quorum opera præcipue profecerunt proficiuntque. Sunt etiam, qui promiſcue quosvis, etiam bene meritos merentesque, velut ſimpliciter infra ſe poſitos, ſuperciliose deſpiciunt atque contemnunt, nec memoratione, nec lectione ullos ullorumque ſcripta dignati. Nam publica multorum,

etiam

etiam innocentium, librorum prohibitio alias nota est.

Ceterum primi illi quidem livore ac malevolentia suffusum animum nimis manifesto produnt. Etenim quod omne bonum bonitatis suæ plures participes reddere naturali sua sponte quasi gestiat, utique quo minus isthoc in genere illud ipsum fiat, illi, quantum in sese est, prohibere nituntur. At benignos fructus suos didere conanti impedimentum qui inferunt, grande committunt peccatum. Estque idipsum tanto gravius, quanto præstantius fuerit, cui vis fit, bonum, quantoque majus ab ejus remoratione datur damnum. Insigniter vero citra controversiam prodest doctorum hominum & ab iis conscriptorum bonorum librorum notitia. Non parum proinde vicissim quoque noxiam esse oportet eorundem ignorantiam & ut ignorentur procurationem. Quod simul etiam intelligendum de librorum propter veritatem ejusque inquisitionem proscriptorum interdicta lectione. Reliqui quidem partim magis, partim minus, omnes tamen eadem culpa itidem tenentur. Faciunt autem isthoc duplici potissimum de caussa. Scilicet hac calliditate præstare conantur, ne innotescat, unde-

nam quidquam transſumſerint, quorumque do-
ctrinam pro ſua venditent, alienorum laborum ingrati compilatores. Præterea ſimul eopſe ſingularem ſui exiſtimationem concitare ſtudent, quaſi nihil aliis, ſed omnia omnino ſibi ſolis & ſuæmet induſtriæ, ſuisque ingenii viribus unice debeant accepta. Utrique male profecto memores illius à Plinio ex re & vero pronunciati: *Eſt benignum & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris.* Item illius: *Obnoxii profecto animi & infelicis ingenii eſt, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, cum præſertim ſors fiat ex uſura.* Poſtremo quoque loco memoratos ſtolidus & intolerabilis faſtus ab ipſamet humanitate plane reddit alienos.

Ego ſumma rei dignitate diligenter & prout par eſt apud animum meum perpenſa, omnino juſtum eſſe ſtatui, pro mea quoque facultate notitiam illam, in cujus laudationem huncce ſermonem habui, adjuvare, iſthoc in eum uſum conſcripto commentario. Quem nunc eapropter etiam evulgo, & Tuo quidem, MAGNIFICE VIR, ampliſſimo nomini dicatum. Tu quippe non unum præclaræ eruditionis genus perdoctus, nul-

lum

lum non amas, & magni hoc eſt ſuo pretio quodque æſtimas. Non ingratus proinde quoque fuerit in notitiam bonorum quorumcunque ſcriptorum, adeoque ac ipſammet eruditionem tum univerſim tum ſpeciatim acquirendam, manu quaſi ducens labor. Saltem conatus rationem eam monſtrandi non poterit diſplicere. Me vero operæ pretium præſtitiſſe maxime quoque exiſtimabo, ſi tum voluntas, tum qualiscunque iſthæc opera mea Tibi Tuoque exemplo aliis probabitur. De quo ut minus dubitem, illa ipſa modo memorata etiam atque etiam ſuadent. Vale longum, publicæ rei bono. Helmſtadii in Academia Julia, XVII Septembris, ipſo natali meo die, CIↃ IↃC LXX.

BENEVOLO LECTORI

S. P.

VALENT. HENR. VOGLERUS.

IAm inde à pueritia usque doctorum hominum librorumque notitia mirifice sum delectatus. Qui meus amor deinceps cum ætate magis magisque simul accrevit. Sive naturalis instinctus eo me ferret, sive paternum exemplum incitaret. Qua in re juxta cum aliis plurimum post adjutus sum, ex quo iis operam dare cœpi, à non uno Academiæ Iuliæ doctore: tum libros coram inspiciendi auditorio concessa facultate, immo in eum finem iis expositis, tum alias pro re nata commendatis, tum artium ac scientiarum quarundam, quæque eas constituunt, singularum insignium partium tractationi eorum, qui in illis argumentis præcipue jam versati fuerant, justa recensione præmissa. Qui quidem partim adhuc superstites degunt, partim dudum mundi hujus turbis exemti in Domino jam quiescunt. Neque temere quid eo pertinens, quod quidem majoris momenti notatuque inprimis esset dignum, ipsemet observare neglexi. Hactenus tamen nunquam animus fuit ex professo id agere, multo minus de eo quidpiam commentari. Donec aliquot abhinc annis perillustris atque excellentissimus Ioannes Christianus Baro de Boineburg, eximius omnis bonæ eruditionis amicus, ipsemet longe doctissimus, ut idipsum facerem, etiam atque etiam me adhortaretur. Cujus autoritate permotus serio demum de isthoc argumento, num qua mea quoque qualicunque opera

non-

nonnihil posset illustrari, cœpi cogitare. Pericoloque ejus facto, tum quæ ad universalem spectant, tum bonam partem singulorum scriptorum notitiæ, domi meæ disserendo (ita namque felicius omnia primum proponi, minorique labore dein perfici, usu ipso edoctus sum) tradidi. Exceptus tamen voculis & minus æquis judiciis nonnullorum, à quibus omnia contraria potius exspectaveram. Sed quibus tantum abest, ut à proposito me dimoveri sim passus, ut magis strenue illud ipsum urserim, & bonæ caussæ confisus, & memor illius: Ῥᾷον μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι. *Ex adverso quoque opera isthæc mea sic aliis sese probavit, ut tum nonnulli ex ipsismet auditoribus, tum alii, qui ab iis excepta viderant, editionem à me postularent. Quibus quo minus morem gererem, caussam nullam habui. Ideoque primum universalem hanc ejus generis* προπαιδείαν *in manus resumsi, secundaque cura plurimum & auctam & politam typographeo tradidi. In quo tamen diutius, quam fortassis cuipiam videri queat, commoratus est, mole quamvis satis exiguus iste liber: in alterum usque annum ejus absolutione protracta. Id quod factum partim propter alia varia eaque tædii molestiarumque plena identidem obvenientia impedimenta, partim & præcipue quidem quod subinde consulendi & introspiciendi essent libri, quorum non semper, quando quotiesque usus poscebat, copia dabatur.*

Moneri vero primum *debet, à me non simpliciter omnes, qui hoc argumentum illustraverunt vel illustrare conati sunt, nominatim fuisse laudatos. Nec enim id necessum*

erat,

erat, & qui commendationem præterea merentur, facile ſuo quisque loco memoratis poſſunt accenſeri. Non igitur eſt, quod ii, ſi qui ſunt, (non erunt autem nulli,) quorum ratio peculiariter haud eſt habita, velut in injuriam ſuam factum protinus id interpretentur. Similiter deinde *nonnusquam quædam in exemplum duntaxat & dilucidationis cauſſa eſſe adducta, etiamſi me nequaquam fugeret, eo plura pertinere, & illa ipſa quorum memini ſæpius tractata & edita fuiſſe. Quod præcipue contigit, ubi de quorundam generum catalogis eorumque collectione ac publicatione agitur. Præterea* tertio *aliquando integras utut prolixiores librorum inſcriptiones conſulto fuiſſe relatas, ut eorum argumentum nullis non evidens eſſet atque perſpicuum; quum compendiaria narratio, minus notarum præſertim rerum minusque intelligentibus, ſæpe pariat obſcuritatem vel hæſitationem. Quibus* quarto *demum addendum, non omnino quidem omnes, quorum nomina heic leguntur, mihi fuiſſe viſos, ex iis tamen eos adductos, quibus fides tuto poteſt immo debet haberi: præſertim quum librorum ab illis compoſitorum tituli rebus, de quibus ſcripſiſſe perhibentur, plane reſpondeant. Vale, benevole lector, tuisque profectibus conſulere ſatagenti fave.*

VALEN-

VALENTINI HENRICI VOGLERI INTRODUCTIO UNIVERSALIS IN NOTITIAM CUJUSCUNQUE GENERIS BONORUM SCRIPTORUM.

CAPUT I.

Quibus modis Scriptorum notitia poßit acquiri: quam varia item ratione ab aliis hæc res sit tractata.

QUicunque tum alias doctorum hominum, tum & peculiariter quidem ſcriptorum atque librorum juſtam cognitionem ſibi comparare deſiderat & ſtudet, *primum* diligenter operam dare debet, ne quid negligat quod huc pertinens auditione poteſt addiſcere. Quod ſi igitur ſcriptoris librive cujuspiam mentionem fieri audit, nomen ejusdem ſtatim debet annotare. Non minus *deinde* idem faciet, quum ſcriptores ac libros paſſim ſive laudatos ſive reprehenſos in aliorum ſcriptis animadvertit. Perquam multum *tertio* ipſi proderunt catalogi librorum, ſive typographeorum, ſive bibliopoliorum, ſive nundinarii, ſive bibliothecarum, ſive alii cujuscunque generis fuerint. Præter hæc omnia *quarto* demum & præcipue quidem ipſas quoque tabernas librarias atque bibliothecas ubicunque licuerit diligenter viſitare debet, ipſosque libros introſpicere. Ita ſane maximum emolumentum certiſſime non poterit non ſibi parare. Quod enim inſcriptiones librorum mul-

ta ſæpe promittant, quæ tamen deinde vel plane non vel juſto minus præſtant libri; immo illæ non raro ſint metaphoricæ, & aliud titulus, aliud liber loquatur & agat, adeoque & auditorum & lectorum exſpectatio egregie ludatur: ipſosmet libros ipſaque eorum contenta perſcrutari utique debemus.

PECULIARITER autem nonnulli huic rei operam impenderunt. Alii quippe nomina, alii ætates, alii librorum elenchos, alii vitas doctrinâ clarorum virorum, alii aliud eo faciens adeoque ad ſcriptorum librorumque notitiam pertinens tradiderunt. Quorum omnium proinde quum magna ſit varietas, certæ quædam eorum claſſes ut conſtituantur, operæ fuerit pretium. Mihi quidem ad duodecim præcipue genera eos commode referri poſſe viſum fuit. Scilicet.

I. Quidam potiſſimum nomina duntaxat doctorum virorum annotaverunt, juxta ſeriem temporum, quibus vel nati fuerunt vel maxime claruerunt vel obierunt.

II. Quidam confecerunt catalogos librorum ab eis conſcriptorum.

III. Nonnulli vitas eruditione præſtantium virorum litteris ſunt perſequuti.

IV. Seorſim elogia illuſtrium virorum ſunt qui ſcripſerunt. Quibus annumerandi quoque ſunt epicediorum & epitaphiorum ſcriptores & collectores.

V. Sed & imagines eorum nonnulli exhibuerunt.

VI. Alii promiſcue quorumcunque doctorum virorum meminerunt.

VII. Sunt qui peculiariter diſciplinarum ac doctrinarum ab iis tractatarum habuerunt rationem.

IIX. Alii priſcorum pariter ac recentiorum mentionem faciunt.

IX. Nec desunt qui circa sui vel alterius certi duntaxat ævi claros viros fuerunt occupati.

X. Non pauci suæ vel alterius certæ cujuspiam gentis doctos viros recensuere.

XI. Similiter certi ordinis ac vitæ generis scriptores nonnulli memoraverunt.

XII. Complures demum aliud agentes pro re nata ea tangunt, quæ hujus quod nunc aggredimur sunt negotii.

CAPUT II.

De præcipuis scriptoribus, qui de doctorum virorum ætatibus simpliciter egerunt.

Doctorum vircrum ætates potissimum annotaverunt Chronologi nonnulli. In quibus primo loco merito nominatur Eusebius Cæsariensis, cujus *Chronica* Latine vertit S Hieronymus, post in utraque lingua splendide edidit doctissimisque notis illustravit infimi ævi Chronologorum facile princeps Josephus Justus Scaliger.

Inter recentiores primus nunc occurrit Gilbertus Genebrardus, Theologus Parisiensis, & quidem in temporibus Christi natalem antegressis. Quod in temporibus à nato Christo diligenter continuavit Arnoldus Pontacus; cujus compendium eo quoque nomine inprimis laudem meretur, quod concilia & Pontificum Romanorum schismata diligenter annotaverit. Est utriusque epitome, titulo *Chronographiæ in duos libros distinctæ*, junctim edita Lovanii anno superioris sæculi septuagesimo. Nam acerrimum utriusque in dissidentes à Pontificiis sacris dogmatibus odium neminem debet morari.

Non minus idem fecerunt nonnulli, qui tempora resque iis gestas in tabulas, manifesto sane legentium commodo, digesserunt. Id quod observatum est in *Chronicis Canonibus*

 Eusebii.

Eusebii. E recentioribus magnam laudem eo nomine promeritus est in laborioso suo *Theatro historico* Christophorus Helvicus. Nec minus insigni utilitate sua sese commendant clarissimi Christophori Schraderi nostri *Tabulæ Chronologicæ*, tertium jam biennio abhinc vulgatæ. Præclaræ itidem sunt *Tabulæ Chronologicæ* prorsus anonymæ, sex plagulis constantes, Petavii supputationem potissimum sequentes, à nato Christo ad annum hujus sæculi trigesimum deductæ, in quibus seorsim quoque tum patres & doctores tum scriptores prophani indicantur. Ejusce generis est & *Breviarium Christianæ Chronologiæ* partibus duabus exhibitum, quarum prior sacra, posterior profana complectitur, Viennæ Austriæ anno quadragesimo tertio sed itidem sine collectoris nomine vulgatum, variorum memorabilium diligenti annotatione præcipue quoq; commendabile: quamquam complures omnis generis eruditione clarissimi viri è superiori præsertim & hoc nostro sæculo illic desiderentur. Plane quoque huc referri debet, tametsi ad unum duntaxat doctorum genus spectat, *Chronicon* prius *Astrononomorum aut Polyhistorum, qui Astronomica vel Cosmographica propius attigerunt*; quod *Almagesto* suo *novo* præmisit Joan. Baptista Ricciolus. Sunt & alii, qui de doctis viris secundum ætates egerunt: sed quod ad certa solum eorum genera pertineant, suo loco potius memorabuntur.

Uberius aliquanto magnaque diligentia celebrium virorum memoriam persecutus est Abrahamus Bucholzerus in *Indice Chronologico*. Qui dein primum à Godfrido filio, post ab altero filio patri cognomine, Abrahami Sculteti opera potissimum adjuto, deinceps ab aliis continuatus novisque accessionibus fuit auctus, ita ut ante triginta hosce & amplius annos jam quintum editus fuerit. Observavit autem pater meus Godfridus Voglerus, Godfridum in plu-

rimis

rimis ita non indulsisse affectibus, sicut in tertia editione fuit factum: utut illam alteram editionem acerbe perstringat in *dedicatione* frater ejus Abrahamus. Posteriores etiam editiones haud æque limatum judicium in multis referunt. Laudem porro quoque meretnr Sethus Calvisius in *Opere Chronologico*. Qui tamen pauciores doctos viros ac scriptores quam Bucholzerus annotavit: in illis autem quæ ad historiam tam civilem quam ecclesiasticam pertinent prolixior est, eoque nomine Bucholzerum superat. Habentur præterea Joannis Gualteri (est autem Janus Gruterus) *dies natales & emortuales virorum literis armisque insignium*, collecti & exhibiti *tomo II chronici chronicorum*: nisi quod in recentioribus duntaxat is occupetur. Huc itidem referri debet *Chronologia* Joannis Henrici Alstedii. Sed & doctrina scriptisque celebrium virorum peculiarem rationem habuit in *Rationario temporum* Dionysius Petavius. Idem fecit in *Epitome Historiæ Universæ* Christophorus Heidmannus, vir optime de præclaris studiis meritus nec minus alii universalis Historiæ Scriptores. Inprimis etiam commendandus est commentarius chronologicus *de universæ eruditionis à nato Servatore propagatione ejusdemque scriptoribus* τοῦ πάνυ Conringii nostri, ante complures annos auditoribus traditus: multorum commoda juvaturus, si lucem videret, nisi, quod, quæ ad medicos pertinent, & auctiora quidem jam tum legantur *Introductione in Artem Medicam*.

Seorsim demum *Philosophorum* (ut appellat) *classicorum & Patrum Bibliothecam Chronologicam* seu nomenclatorem ab origine mundi ad sua usque tempora confecit Joannes Jacobus Frisius, sub finem prioris sæculi Tiguri excusam. Sed de qua infra pluribus agetur.

Ab his igitur similibusque scriptoribus aliorum notitia discenda venit. Non nisi prima tamen ferme rudiorque

que tantum. Sed & inter ipsosmet illos accurationis ratione nonnullum interest discrimen. Ad aliquam multos videlicet, immo tantum non plerosque, etiam in sequentium classium recensione memorandos, pertinet, quod primum de uno alteroque speciatim *lib. 1. epist. 64.* Tanaquillus Faber scribit: *Primum hoc mihi credas velim, Christophorum Helvicum non satis locupletis esse fidei in hac Chronologiæ parte, quæ virorum scriptis illustrium ætatem signat. Dein hoc quoque habet Helvicus, quod fere plerumque recentiores scriptores sequatur, ut eclogarios, bibliothecarios, &c. Quale aliquid quoque in Calvisio improbarat Scaliger, quemadmodum ex Epistolis ejus apparet; quamvis Calvisii opus, ex quo totus est Helvicus, mirifice laudaret.* Et post generatim de universi hujus argumenti optima traditione: *Petenda hæc Chronologiæ pars est ab aliis hominibus. Nam qui τὰ καθολικὰ artis illius vulgo tradunt, quamvis alias doctissimi, ætatem veterum scriptorum quo modo assignabunt, nisi scriptores ipsos legerint, quod tamen non faciunt?* Hæc Tanaquillus, cujus sententia omnino probari debet. Nec tamen sufficit duntaxat ipsorummet, quæ quidem supersunt, scripta inspicere; sed præterea diligenter notandum, quid apud alios, sive æquales sive temporibus eorum propinquiores fuerint, de singulis legatur. Interim ad primam, ceu dixi, doctrina clarorum virorum notitiam parandam nulli non, etiam qui in eorum certis ætatibus constituendis minus fuerunt curiosi, prosunt.

Tan. pag. 213.

Tan. p. 215.

CAPUT III.

De varii generis catalogis librorum, eorumque præcipuis quibusdam scriptoribus.

QUi ad ALTERUM antea constitutum scriptorum genus pertinent, non unius itidem sunt rationis. Nam.

I. Non-

I. Nonnulli ſimpliciter duntaxat nomina doctorum indicant, & ſcripta ab eis profecta commemorant.

II. Quidam illud fuſius exſequuntur.

III. Alii ſine diſcrimine quorumvis doctorum id faciunt.

IV. Multi ad certum genus reſpiciunt.

V. Ceteri denique judicium & cenſuram addere ſolent.

AD PRIMAM ſpeciem qui pertinent, multiplicis iterum ſunt differentiæ. Quo *primum* referimus eos, qui *publicas Bibliothecas* deſcripſerunt. Qui rurſus diverſa ratione circa rem iſthanc fuerunt occupati. I. 1.

Alii quippe librorum manuſcriptorum in bibliothecis aſſervatorum catalogos ediderunt. Ita manuſcriptorum Græcorum codicum bibliothecæ Auguſtanæ catalogum bis edidit David Hœſchelius. Similis catalogus itidem Græcorum duntaxat librorum bibliothecæ Bavaricæ Ingolſtadii anno hujus ſæculi ſecundo fuit editus. Patavinarum bibliothecarum manuſcriptorum codicum catalogum anno ſæculi hujus nono & trigeſimo Vtini edidit Jacobus Philippus Thomaſinus. Mediceæ bibliothecæ refertiſſimæ librorum manuſcriptorum & editorum catalogum publicavit vir clariſſimus nec minus Helmſtadii noſtri quam Daniæ eximium decus Henricus Ernſtius Amſtelodami anno hujus Chriſtiani ſæculi ſexto ac quadrageſimo impreſſum. Quem catalogum *affectum tamen magis quam perfectum eſſe*, ac *propterea ab ipſis Florentinis ſecundas curas Wilhelmi Langii prioribus præferri*; *cui tamen Orientales duntaxat Græcoſque recenſere libros, præteritis Latinis & Italicis, placuit*: notavit πολυμαθέστατος Hottingerus in *Bibliothecario.* Hott. p. 17. Et vero catalogum illum auctiorem & emendatiorem pollicitus eſt inter ſcripta ad edendum parata recenſens *Indice librorum* & lucubrationum ſuarum ipſemet Ernſtius. Fortaſſis

taſſis etiam huc vel ad integrorum catalogorum claſſem pertinent *Monumenta Bibliothecæ Ambroſianæ* per Jacobum Philippum Opicellum Mediolani anno hujus ſæculi octavo decimo vulgata. Fortaſſis inquam. Titulus enim ambiguus eſt: & monumentorum voce non ſolum libri ſed alia quoque denotari atque intelligi poſſunt.

Alii omnium in univerſum librorum in bibliothecis exſtantium catalogos confecerunt. Viennenſis bibliothecæ catalogus univerſalis prodiit anno hujus ſæculi undecimo. Pridem quoque Leidenſis bibliothecæ catalogus locupletiſſimus. Similiter & Ultrajectinæ bibliothecæ catalogus primum anno hujus ſæculi octavo, dein nuper anno tertio & ſexageſimo denuo fuit editus. Catalogus item univerſalis bibliothecæ Bodlejanæ Oxonii anno vigeſimo, & appendix ad eundem ibidem anno trigeſimo quinto eſt vulgata. Auguſtanæ porro bibliothecæ catalogus, juſſu & autoritate Johannis Antonii Laugingeri & Johannis Udalrici Oeſterreicheri, bibliothecæ præfectorum & ſcholarcharum, ſtudio & opera Eliæ Ehingeri ſecundum publicatus eſt anno tertio trigeſimo.

Alii demum hiſtoriam, quæque ad conſtitutionem bibliothecarum pertinent tradiderunt. Qui proinde, quod vel ipſos catalogos ſuis narrationibus inſerant, vel ſaltem ea afferant, quæ ad eos adeoque librorum notitiam faciunt, utique & ipſi in hunc cenſum jure merito referuntur. Ita Norimbergenſis bibliothecæ hiſtoriam deſcripſit, annoque ſupra quadrageſimum tertio edidit Johannes Saubertus pater, vir clariſſimus. *De bibliotheca Auguſta* Wolffenbyttelenſi, Sereniſſimi quondam vereque AUGUSTI nunc glorioſæ memoriæ Principis noſtri ſtupendo atque incomparabili illo opere, prolixe juxta & accurate, ceu ſolet, egit ὁ πάνυ Conringius noſter. *De auguſtisſima biblio-*

thecaCæſarea Vindobonenſi commentariorum librum primum ante biennium jam edidit, proximo anno quatuor reliquos inſuper libros itidem pollicitus, Petrus Lambecius, vir antiquitatis reique litterariæ peritiſſimus.

Deinde commendandi ſunt catalogi *Bibliothecarum* 2.
privatarum. Quales in Belgio potiſſimum magno numero prodierunt, ex quo clarorum ac doctorum virorum omnis generis libris inſtructiſſimæ bibliothecæ ab obitu dominorum publice venum exponi cœperunt. Id quod deinceps alibi quoque fuit inſtitutum. Quomodo Cordeſianæ bibliothecæ catalogum Gabriel Naudæus anno hujus ſæculi poſt quadrageſimum tertio Pariſiis edidit. Ibidem biennio poſt vulgatus eſt catalogus librorum inſignium quam plurimorum Samuelis Petiti. Septennio quoque abhinc illuſtris etiam venalis bibliothecæ catalogum Hafnia Danorum mittebat. Talis itidem eſt catalogus bibliothecæ Münchuſianæ, Bremæ ante paucos annos divenditæ. Cujus generis catalogi non uni etiam in hac Academia noſtra ſunt vulgati, poſt publicarum per auctionem venditionum uſum receptum.

Sequuntur *tertio* catalogi *Nundinarii*, qui ſingulis ſe- 3.
meſtribus nundinis in Germania noſtra tum Francofurti tum Lipſiæ prodeunt. Optandum vero foret, ut bonorum quorumque librorum, qui venales in ea loca importantur, inſcriptiones catalogis iſtis inſererentur: nec ipſosmet libros in iis promiſſos eruditus orbis ſæpenumero fruſtra juberetur exſpectare. Huc autem omnino pertinet etiam Georgii Draudii *Bibliotheca*, utpote quæ collecta eſt è catalogis iſtis nundinariis Francofurtenſibus ac Lipſienſibus. Prout igitur illi nunc plus nunc minus bonorum librorum ſuppeditaverunt, etiam ex hac bibliotheca nunc major nunc minor fructus poteſt capi.

Idem institutum in Gallia imitari cœpit Ludovicus Jacob Cabilonensis Carmelita, edita Parisiis anno hujus sæculi quadragesimo quinto *Bibliographia Parisina*, hoc est, catalogo omnium librorum Parisiis annis 1643 & 1644 inclusive excusorum. Quo eodem anno ibidem vulgatus est catalogus variorum & insignium librorum ex Germania, Italia, Flandria & aliis regionibus allatorum, qui venum prostiterunt in foro sancti Germani. Sequenti porro quadragesimo sexto anno prodiit ibidem ejusdem Ludovici Jacob tum *Bibliographia Parisina* hoc est, catalogus omnium librorum Parisiis anno 1645 inclusive excusorum: tum *Bibliographia Gallica universalis*, hoc est, catalogus omnium librorum per universum regnum Galliæ annis 1643, 1644, & 1645 excusorum. Id quod deinceps quoque per aliquot annos continuatum fuisse accepimus.

4. Huc *quarto* referendi sunt catalogi, qui à *Typographis* & *Bibliopolis* nonnullis publicati sunt, illorum videlicet librorum, qui vel ipsorum cura ac typis evulgati sunt, vel alias apud eos venales reperti fuerunt aut adhuc reperiuntur. Cujus rei præcipuus laudator fuit Conradus Gesnerus, ille τῆς ἐμπειρίας βιβλιακῆς *summus artifex ac princeps magistrorum* jure merito ab amplissimo nostro Conringio vocatus: tum primum confecto & seorsim vulgato catalogo librorum quos Christophorus Froschhoverus publicavit; tum & quam maxime quidem singulos libros *Pandectarum sive partitionum universalium* celeberrimis isto ævo typographis inscribendo, & partim omnium, partim præcipuorum librorum ab iis impressorum catalogos inserendo. In qua dedicatione *non ordinem, sed argumentum ut plurimum se respexisse, in quo quis vel numero vel dignitate excusorum à se librorum excelleret*, ipsemet scribit *epistola* ad Froschhoverum, cui primum librum consecravit. Indicum quo-

Conr. de biblioth. Aug. p. 14.

que

que ipsorummet præcipuorum nominatim meminit in iisdem *Pandectis de Grammatica tit. XIII.* Ex catalogis autem istis typographicis à Gesnero laudatis, librorum per Joannem Oporinum, (illum qui *ex Latinæ Græcæque linguæ professore temporum injuria factus typographus intra paucos annos aut excudit ipse plurimos, optimos, & rarissimos, libros, aut excudi per alios curavit, idque quam castigatissime;* ut & Lycosthenes & Simlerus in *epitome bibliothecæ Gesneri* de eo jam tum scripserunt: quique duo ac triginta præla suis operis simul fatigasse perhibetur,) partim excusorum hactenus, partim in ejusdem officina venalium index Basileæ postremum prodiit anno superioris sæculi supra sexagesimum septimo: tum procul dubio, quando *typographorum omnium ætate sua doctissimus*, ceu Gesnerus in *bibliotheca* eum vocat, typographiam vendidit. Biennio post edita est Henrici Stephani epistola *de suæ typographiæ statu, nominatimque de suo Thesauro linguæ Græcæ.* Additus est index librorum qui ex officina ejusdem hactenus prodierunt, in fine quoque subjuncta appendice. Quales catalogi deinceps & à typographis & bibliopolis tum alibi passim per Germaniam tum in Belgio nec minus exteris regionibus vulgati sunt hodieque vulgantur.

Gesn. fol. 21. col. 1.

Plures ejusmodi omnis hactenus adducti generis catalogos catalogorumque scriptores nunc non commemorabimus: tum quod nostra sententia prolixiori recensione minus indigeat, vel paucorum istorum laudatione satis illustris; tum & præcipue quidem, quod ab aliis iisque celeberrimis viris idipsum abunde jam sit præstitum. Fecerunt id sane, ex parte Conringius noster *de bibliotheca Augusta*; fusius & ex professo Hottingerus *bibliothecarii par. I. cap. II*; item, concise tamen solisque nominibus indicatis, Philippus Labbe in *indice bibliothecarum*; quem ex ejus

Conr. p. 8. & seqq.

bibliotheca bibliothecarum excerptum libro, cui titulus *sacra*
Spiz. pag 346. & 351. *bibliothecarum illustrium arcana retecta*, nuper inseruit insignique supplemento auxit Theophilus Spizelius. Nisi quod in utroque & Labbeano & Spizeliano illo syllabo nomine *bibliothecarum* non duntaxat significentur, vel bibliothecarum (voce isthac in sensu maxime usitato accepta) catalogi vel alias commentarii de bibliothecis earumque constitutionibus; sed etiam omnes libri, quibus sub titulo illo tum de aliis tum de certæ vel artis & scientiæ vel gentis
Hott. p. 8. vel professionis ac vitæ generis scriptoribus agitur. Hottingerus autem vocis istius acceptione magis insuper dilatata nullos non librorum catalogos isthoc nomine denotat; dummodo non confusus quilibet, sed vel secundum ætatem, vel locos communes, vel ordinem alphabeticum distinctus sit: immo elogia quoque & icones doctorum virorum.

5. Demum *quinto* non incommode huc referri possunt *Indices librorum prohibitorum*, hoc est, quorum lectio à Romanis Pontificibus vi decretorum Tridentinorum interdicta est. Tametsi enim de Theologicis potissimum libris in illis agitur, plerumque etiam sola autorum, quorum scripta prohibitæ lectionis censentur, nomina indicantur: nihilominus tamen alii quoque libri, etiam diserta illorum facta mentione, ibi adducuntur. Qui & ipsi Indices propterea scriptorum atque librorum notitiam non possunt non itidem juvare, certe ad argumentum istud pertinent: etiam quando nuda duntaxat nomina memorant.

Sunt autem Indices isti Prohibitorii jam aliquoties, novis subinde accessionibus aucti, publicati. Primus autoritate Pii IV Pontificis, anno superioris sæculi sexagesimo quarto. Qui deinde Sixti V jussu auctus, sed ab eo, quod *re minime absoluta ab humanis excesserit*, non vulgatus

Clemen-

Clementis VIII mandato perfectus atque in lucem editus est anno nonagesimo quinto. Qui subjunctus etiam est Indicibus Expurgatoriis junctim Hannoviæ excusis. Post novus Index librorum prohibitorum ab Urbano VIII anno hujus sæculi vigesimo septimo Romæ publicatus, & eodem anno Coloniæ Agrippinæ recusus fuit. Quem nuperrime anno supra sexagesimum septimo excepit Alexandri VII Index librorum prohibitorum, addito Indice Tridentino, Romæ vulgatus. Similiter eodem anno Index librorum prohibitorum & expurgandorum novissimus, pro Catholicis Hispaniarum regnis, Antonii à Sotomajor, Inquisitoris generalis, Madriti promulgatus. Cujusmodi peculiares Indices alias quoque procul dubio in Hispania sunt emissi. Qualis est Index autorum damnatæ memoriæ seu librorum prohibitorum, Ulyssippone anno hujus sæculi vigesimo quarto impressus.

Jam antea vero, durante adhuc & ita censente concilio Tridentino, tales etiam catalogi confecti sunt. Ejus sane generis est catalogus hæreticorum, editus Venetiis, inde cum annotationibus Athanasii, quisquis ille fuerit, Regiomonti in Borussia recusus, anno superioris sæculi sexto ac quinquagesimo, dedicatusque Principi Nicolao Radzivilio. Triennio post, anno nempe nono & quinquagesimo, mense Januario, Romæ ex officina Antonii Bladi, Cameralis impressoris, prodiit index auctorum & librorum, qui ab officio sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis caveri mandantur, sub censura; mox itidem ad autographum alibi excusus. Quo eodem anno Philippi II Regis Hispaniæ jussu duo indices itidem super librorum prohibitorum censura sunt evulgati.

Præter hosce vero Prohibitorios *Indices Expurgatorii* quoque juxta decretum ejusdem concilii Tridentini con-

ſcripti atque impreſſi ſunt. In quibus peculiariter ſignificatur, quid in multis libris, qui à reformatione Eccleſiæ ſuperiori ſæculo facta prodierunt, vel corrigi vel penitus deleri tollique debeat, anteaquam illorum vel lectio vel venditio ſit concedenda.

Prior Index juſſu & auctoritate Philippi II Regis Hiſpaniæ, atque Albani Ducis, immanis illius tyranni, conſilio, in Belgio concinnatus, Antwerpiæ in officina Chriſtophori Plantini impreſſus fuit anno ſuperioris ſæculi poſt ſeptuageſimum primo: *non quidem evulgandus diſtrahendusque, ſed diſtribuendus ſolis cognitoribus inſtitutis in urbibus & municipii*; jubenturque *ii ipſi privatim nulliſque conſciis apud ſe indicem Expurgatorium habere, eundem neque aliis communicare, neque ejus exemplum ulli dare, ſed tantum id curare diligentisſime, ut loca prædicta inquirant, expungant, reſtituantque*; ceu ſevere cautum fuit *diplomate* Regis Catholici, quod ipſi illi Indici Expurgatorio præmiſſum legitur. Ita liber ille inſtar myſteriorum in cenſorum illorum bibliothecis occultatus diu delituit, donec quindecim annis poſt in aliorum adeoque Franciſci Junii manus perveniret, à quo Heidelbergæ tandem vulgatus publicique juris factus fuit: inde anno poſt milleſimum undeſexcenteſimo Argentorati, procurante Johanne Pappo, cum ſimili quodam libello recuſus. Interea alter etiam *Index librorum expurgatorum*, Gaſparis Quiroga, Archiepiſcopi Toletani & Hiſpaniæ generalis Inquiſitoris, juſſu Madriti anno ejusdem ſæculi octogeſimo quarto editus fuit. Qui quum & ipſe lucem fugeret, tandem in celebri illa Gaditana direptione, quæ duodecennio poſt contigit, in Anglorum manus devenit, unde poſt à Jacobo James ad Philippum Mornæum miſſus, hujus cura Salmuri in Gallia recuſus fuit. Atque ita uterque iſte, & Belgicus & Hiſpanicus, Expurgatorius

Index, uſque adeo in arcano habitus, ſingulari Numinis providentia, è tenebris in apricam lucem protractus fuit: ex eo, exemplaribus deficientibus, una cum Prohibitorio Indice, Hanoviæ anno hujus ſæculi undecimo junctim vulgatus. Præterea vero Index Expurgatorius quidam Lugduni quoque anno ſuperioris ſæculi octogeſimo tertio fuit editus. Sed de quo, an ab iis plane diverſus ſit, nec ne, certi quid pronunciare mihi nunc non eſt integrum.

FUSIUS & accuratius ab aliis catalogi librorum confecti ſunt; qui videlicet interdum tum alia vel ad ſcriptores ipſos vel libros eorum pertinentia inſpergere ſolent, tum etiam ætatem & vitæ genus indicare. Qui itidem non unius ſunt generis. Alii quippe quorumvis ſcriptorum promiſcuam deſignationem inſtituerunt. Alii vitarum deſcriptioni catalogos ſimul vel inſerunt vel ſubjungunt. Alii peculiariter vel ſuæ gentis vel peculiari ordini addictorum doctorum hominum memoriam & ſcripta annotaverunt. Id quod etiam ab illis factum, qui diſciplinarum rationem potiſſimum habuerunt. De quibus omnibus poſtea ſeorſim agendum erit. II. III. IV.

Quibus denique addendi ſunt & illi, qui ipſimet librorum ſuorum indices confecerunt. Quod ex antiquis præcipue fecit Galenus. Cujus tum περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων *de libris propriis* tum περὶ τάξεως τῶν ἰδίων βιβλίων *de ordine ſuorum librorum* ſinguli libri, ex parte tamen mutili, hodieque non ſine fructu pariter ac dolore leguntur, quod plurima opera à viro præclariſſimo conſcripta fuiſſe inde diſcamus, quorum tamen ne fragmentum quidem hactenus ad eruditorum manus pervenit. V.

QUI judicium inſuper & cenſuram de libris tulerint, opido ſunt pauci. Ideoque id in pleriſque omnibus librorum cujuſcunque generis univerſalibus indicibus, tam iis quorum

quorum jam facta eſt mentio, quam qui deinceps in ſingularum vel diſciplinarum vel aliarum ſpecierum conſideratione memorabuntur, deſideratur. Sed nec cujusvis eſt ſolidum judicium inſtituere. Et vero longe ſatius eſt nullum, quam vel imperitum vel iniquum cenſorem agere. Plurimum tamen intereſt ad ipſammet veritatem percipiendam, quid boni ab aliquo ſcriptore exſpectandum ſit, quidve in illo deſideretur, quidque præſtiterit, vel minus probe habere cognitum. Eſt boni videlicet & fidelis magiſtri, hac quoque in re, quantum quidem licet, diſcipulis & auditoribus ſuis recte conſulere: præſertim ſi de gravioris momenti negotio agitur: ne illi vel pravis opinionibus imbuantur, vel bonum & pretioſum tempus illis diſcendis impendant, quæ didiciſſe illos olim pœnituerit. Dummodo tamen judicium candidum fuerit, nec ab animo malevolentia & amara felle ſuffuſo proficiſcatur. Quinam vero ſint, qui hoc in genere commendationem mereantur, quamvis valde pauci ſint, ad ſequentes claſſes commodius laudabuntur.

Ut tamen heic quoque diſtinctim agamus, notandum venit, iſtius generis cenſores in duplici potiſſimum eſſe differentia. *Alii* quippe circa argumentum, in quo libri occupantur, verſantur: *alii* de eo, num liber genuinus ſit & cujus nomen præſcriptum gerit, vel alias quem, parentem agnoſcat, diſquirunt.

De *priori* ejusque permagno immo neceſſario uſu jam diximus. Cujus generis ſane quoque ſunt ipſimet illi Pontificii modo memorati & Prohibitorii & Expurgatorii Indices. Sed quod quidem criticæ genus ſicuti plane inſolens eſt, inque ſacræ tyrannidis ſtabiliendæ inſtrumentum callide excogitatum: ita tanquam penitus abominabile ſumme deteſtamur & ab eo abhorremus.

Nec

Nec exigua *posterioris* est utilitas, itaut prius non raro simul implicet. In quo priscorum grammaticorum cura valde laboravit, conscriptis etiam peculiaribus indicibus librorum. Quorum præcipuos commemorat Joannes Wowerius tractatione *de polymathia cap. XVI.* Præter eos autem, ut & ex recentioribus, qui huc operam præcipue contulerint vel aliquid eo pertinens notaverint, tum subsequentes omnes ferme classes tum *Introductio singularis* subinde suggerent.

AD HOSCE vero varii generis catalogorum scriptores *postremum* referri quoque debet Philippi Labbe *Bibliotheca bibliothecarum.* Cujus prima pars relationem præcipue omnium catalogorum adhuc compositorum continet, ubi videri possunt I. autores cujusvis gentis qui scripserunt. II. panegyristæ virorum in quavis professione illustrium. III. illi qui de ordinibus monasticis nonnihil prodiderunt memoriæ. Et quæ sequuntur. VI. illi qui de celebrioribus museis & bibliothecis insignibus scripserunt. VII præcipui typographi & bibliopolæ Europæi. Prout summa libri capita memorantur *tomo I. ephemeridum eruditorum* è Gallico in Latinum sermonem translatarum. Eph p. 44. & 45. Quod si vero ex *indice bibliothecarum*, quem Spizelius inde excerptum exhibet, ceu jam antea notatum, de toto opere conjectare licet, utique omnia succincte nec nisi nominetenus duntaxat Labbeus est persequutus. Etiam sic tamen liber insignis est, suaque utilitate semetipsum satis commendat.

Bibliothecæ isti merito jungitur *Historia literaria quadripartita*, sive præcipuorum in Europa impressorum librorum catalogus, in quo nudi non solum tituli traduntur, verum de materiis quæ in iis continentur, secundum facultates breviter dicetur, additis impressionum impensorumque

rumque locis & annis. Quam nuperrimi catalogi nundinarii Argentorato exſpectare juſſerunt. Quæ proinde qualis ſit, dies docebit.

CAPUT IV.

De nonnullis elogiorum, epitaphiorum ac monumentorum, imaginumque collectoribus & ſcriptoribus.

DE iis qui ad TERTIAM claſſem ſpectant, hoc eſt, qui vitas doctrina clarorum virorum tradiderunt, quod magis tempeſtive in ſequentibus capitibus poſſit agi, iis recenſendis nunc abſtinebimus, quum ex iis quæ deinceps in ſingulorum ſupra conſtitutorum generum peculiari conſideratione notabuntur, facile huc poſſint transferri.

QUARTÆ tamen claſſis ſcriptorum nonnullorum heic mentio facienda eſt. Et ex encomiaſtarum quidem genere potiſſimum ſeſe nunc offerunt Joannis Papirii Maſſonis *elogia* quæ Imperatorum, Regum, Ducum, aliorumque inſignium heroum, ſuperioribus & noſtro ſæculo virtute bellica maxime illuſtrium, vitam complectuntur; nec non & eorum, qui amplisſimarum dignitatum titulis, vel eruditionis laude & publicatis literarum monumentis claruerunt: è muſeo Joannis Balesdens edita Pariſiis anno hujus ſæculi quadrageſimo quinto. Fortaſſis etiam hujus generis ſunt Petri Labbe *elogia varia*, Gratianopoli anno quarto ſexageſimo vulgata.

Inſcriptiones porro, & præſertim epitaphia, ſunt qui collegerunt. Quo pertinere puto Tobiæ Fendii *monumenta ſepulchralia*, quæ Vratislaviæ prodierunt anno ſuperioris ſæculi poſt ſeptuageſimum quarto. Præterea adidit *Epitaphia antiqua & recentia* Pantaleon Candidus : Sed, quæ ipſemet, niſi fallor, conſcripſit. Seorſim *Baſilienſium monumentorum antigrapha*, ut & *Monumentorum Sileſiæ pericula*,

cula, Simon Grunæus Ligius vulgavit, Lignicii anno hujus ſæculi ſecundo impreſſa: majus inſuper omnino opus, omniumque patriæ (Sileſiæ) epigrapharum, quæ nonnullius ſaltem momenti eſſe putarentur, editionem pollicitus. Operoſius in eo argumento verſatus eſt Franciſcus Swertius, tum *ſelectas orbis Chriſtiani delicias*, hoc eſt, epitaphia, inſcriptiones, &c. ex urbibus, templis, bibliothecis, & aliunde collectas; tum *monumenta ſepulcralia Brabantiæ* edendo. Quo procul dubio referri quoque debent ejusdem *Jocoſeria atque Epitaphia, vetera, nova, Latina, Gallica, Hiſpanica, &c.* Quorum omnium meminit Valerius Andreas. Poſt illos nuper admodum prodiit Philippi Labbe *theſaurus Epitaphiorum veterum ac recentium ſelectorum*, Eph. p. 325. memoratus etiam *tomo II ephemeridum eruditorum.*

Aliàs etiam *inſcriptionum veterum*, præſertim Romanarum, collectores atque editores non temere eruditiorem quempiam latent. Primus ex profeſſo id egit Martinus Smetius, cujus *Inſcriptionum antiquarum* farraginem cum auctario poſt edidit Juſtus Lipſius, typis Plantinianis. Inde auſpiciis Marci Velſeri & Joſephi Scaligeri ingens vaſtumque volumen *Inſcriptionum veterum Romanarum* typis Commelianis primo hujus ſæculi anno Heidelbergæ vulgavit Janus Gruterus. Poſt quem in eodem argumento plurimum laboravit, vir varia eruditione non temere cuiquam noſtra ætate ſecundus, Thomas Reineſius, non duntaxat congeſto novo *inſcriptionum veterum* opere, ſed etiam conſcripto in eas *commentario*. Quorum neutrum tamen, dum adhuc in vivis eſſet, in lucem edere potuit. Sed hæ quidem inſcriptiones plane alterius ſunt rationis, & à noſtro negotio alienæ.

In ſuperioribus autem iſtis epigraphis & epitaphiis tametſi multa quoque habentur, quæ nec ipſa huc faciunt,

nec ad doctos ſcriptoresque pertinent: tamen haud pauca in iis comparent, quæ ad homines doctrina editisque libris claros vel ſaltem nomen aliquod conſequutos eorumque memoriam omnino ſpectant.

Huc etiam præterea refero tum Epicedia tum Orationes funebres tum Programmata in exſequiis doctorum hominum in Academiis & gymnaſiis nonnullis, perquam laudabili ſane inſtituto, conſcribi publiceque proponi ſolita; utpote in quibus omnibus, præcipue vero hiſce, tam vitæ quam laudes defunctorum narrantur. Sed quorum nulla in peculiare aliquod volumen relata leguntur. Id quod etiam commode fieri nequit, quum in magnam nec niſi paucis gratam molem illa non poſſent non facile excreſcere; etiam ſi maxime delectus eorum, ceu omnino par eſſet, haberetur. Ideoque ſatius eſt, in eorum, qui talia conſcripſerunt, vel carminum vel orationum libris, aut etiam ſeorſim ſingula prout ſeſe offerunt, legere. Non abs re tamen foret, ſi Programmata quæ dixi, ſaltem ſingulis locis ubi prodeunt, in certa volumina redigerentur. Sunt enim publica de doctorum hominum vita & moribus & doctrina teſtimonia. Quæ proinde hujus notitiæ, cujus comparandæ rationes jam trado, cupido non poſſum non maximopere commendare. Sed nec illud hactenus factum eſt, & proinde uniuscujusque cura heic ipſamet ſibi proſpicere debet. Unius tamen Auguſti Buchneri viri clariſſimi heic mentio facienda eſt, cujus *programmata* duobus tomis comprehenſa atque ab ipſius obitu edita non pauca habent quæ hujus de quo nunc ago ſunt generis. Quomodo etiam biennio ab hinc clariſſimi Schraderi noſtri *Programmata ſelectiora* in unum volumen collecta typographeum noſtrum dedit. Non hunc autem duntaxat ſed multiplicem inſuper alium uſum Programmata Aca-

demica

demica præſtant. Sed de quo nunc tanquam loco alieno nihil memorabo: perinde ut de ſolis publicis publicoque nomine conſcriptis ejusmodi Programmatibus jam loquor.

IN IIS quibus QUINTA claſſis attributa fuit quaſi familiam ducunt imagines Boiſſardianæ. Scilicet Joannes Jacobus Boiſſardus Veſontinus ſcripſit *vitas doctorum virorum*, plerorumque quidem recentiſſimi ævi, quorundam etiam antiquiorum. Et quidem opus illud in quinque partes diſtributum eſt, cui additæ ſunt imagines ad vivum expreſſæ à Joanne Theodoro de Bry. Inde poſtea, vitis à Boiſſardo conſcriptis plane omiſſis, nata fuit *Bibliotheca chalcographica illuſtrium virtute atque eruditione in tota Europa clariſſimorum virorum.* Singulis imaginibus addita ſunt ſingula diſticha; quæ interdum quidem ſunt arguta & elegantia, complura vero nullum ſapiunt ingenium. Huic bibliothecæ chalcographicæ ſextam partem adjunxit Sebaſtianus Furtius: & poſtea tres alias partes Clemens Ammonius, quamvis ejus nomen continuationi quartæ ſive parti nonæ non ſit adſcriptum, gener illius de Bry. Qui Ammonius *præfat. ſecundæ continuationis* pollicetur perfectum opus, in quo *ſecundum cujusque facultatis ſeriem omnium ætatum ſapientum vitas & imagines* ſit exhibiturus. Sicut autem in prioribus Chalcographiæ partibus, ſic in omnibus quoque continuationibus adjecta ſunt diſticha, ejusdem cum iſtis notæ ac qualitatis. At imagines in univerſum omnes perquam elegantes ſunt, ita ut ſculptorum artificium inde inprimis orbi commendetur. Neſcio an ejusdem generis etiam ſit Gaſparis Molze Slaccewaldenſis *liber Imaginum illuſtrium virorum*, additis variis eorum elogiis, quæ è doctorum virorum poëmatibus ſunt collecta, cujus in Epit. Biblioth. Geſneri meminit Simlerus, ſed ut

nondum impreſſi, ipſumque Gaſparem jam tum immatura morte obiiſſe addens.

Qui præterea tum encomia tum imagines doctorum virorum confecerunt & exhibuerunt, deinceps, ubi peculiarium ſpecierum ſcriptores ſigillatim enumerandi venient, laudabuntur. Quo revera quoque pertinent & nonnulli inſcriptionum collectores & programmatum ſcriptores jam tum modo memorati.

CAPUT V.

Qui promiſcue de omnis generis, nulla diſcriminis alicujus habita ratione, doctis viris egerunt, indicantur.

Sequitur jam SEXTA claſſis ſcriptorum, in quam illos contuli, qui promiſcue de omnis generis doctis viris, non habita ratione ſive diſciplinarum ſive ætatis ſive gentis ſive aliarum differentiarum, egerunt. Quo ipſo in negotio ut majori cum fructu quis verſari poſſit, diſtinctiones paullo ante enumeratæ denuo repetendæ veniunt. Nam *primum* huc omnes illi pertinent, quos ſummatim in generali hiſtoria mentionem doctorum virorum feciſſe oſtendi. *Deinde* huc ſpectant & illi, qui ſimpliciter indices librorum confecerunt; quos jam ante ad ſecundæ claſſis primam ſpeciem itidem commendavi. Sunt autem in eorum numero præcipue catalogi bibliothecarum tam publicarum quam privatarum, nec minus nundinarii. Tametſi enim hi non niſi de recenter editis ſcriptis agunt: tamen omnis generis libros & in his ſubinde antiquorum monumenta vel denuo recuſa vel illuſtrata ſignificant, atque adeo ad antiquos ſcriptores quodammodo ſeſe ſimul extendunt. Et vero è re publica eſſet, ut omnibus novis quisquiliis ſeu venalibus nugis rejectis, meliora quæque ſcripta vel ſuperiorum ſæculorum, vel quorum alias aut plane non

ne non aut non nisi ægre amplius copia datur, prælo rursus subjicerentur: illorum item editio juvaretur, quibus, quamdiu ista in pretio sunt, neglectis patronoque destitutis lucem videre, magno bonæ eruditionis in majus promovendæ damno, denegatur. Sed & reliqui catalogi quædam huc facientia suggerunt: nunc plura, nunc pauciora, prout à bonorum librorum numero largius parciusve sunt instructi.

Magis ex professo, succincte licet, nonnulli id *tertio* egerunt. Quo referendus est Raphael Volaterranus, qui *commentariorum urbanorum* tomo altero, quem *Anthropologiam* inscripsit, de plurimis, non sola tamen doctrina sed alia quoque ratione, claris viris agit: in antiquiorum historia seriem alphabeti; at *lib. 21*, ubi recentiores enumerat, tempus quo floruerunt observans. Huc item & maxime quidem pertinent Christophori Mylæi *de scribenda universitatis rerum historia* libri quinque. Quorum primus de naturæ, alter de prudentiæ, tertius de principatus, quartus de sapientiæ, quintus de litteraturæ historiis & historicis agit. Ubi veteres pæne omnes, etsi breviter, enumerat: ita modum ostendens componendæ historiæ de re litteraria universa. Quibus inprimis accenseri quoque debet, is cujus desiderium jam *capite primo* excitatum fuit, πολυμαθεστάτου Conringii nostri *de universæ eruditionis à nato Servatore propagatione* commentarius. Meretur heic omnino quoque laudari Michaël Neander. Ille ex cujus Ilfeldina schola velut ex equo Trojano magno numero prodierunt qui non in hisce duntaxat vicinisque locis sed etiam passim alias per Germaniam in erudienda juventute reque publica litteraria propaganda præclaram operam navaverunt; cuique insigne elogium scripsit in *vita Valentini Mylii* æternum Academiæ Juliæ decus

Joannes

Joannes Caſelius. Diſſeruit autem Neander de præcipuis omnis generis omnisque ævi ſcriptoribus; *præfatione in Græcæ linguæ Erotemata*: quam non immerito *bibliothecam* e us *univerſalem* vocat in *Bibliotheca Medica* Schenkius. Nec aliò commodius nunc referendus videtur *catalogus Auctorum Plinianorum*, quem ſeſe affectum habere, & in quo inter cætera convenientiam & diſcrepantiam ipſorum indicum cujusque libri cum cujusque libri contextu oſtendere conſtituiſſe memorat eruditiſſimus Mallinkrotius in paralipomenis de Hiſtoricis Græcis p. 68. Sed qui perfectus ne ſit, an minus, non liquet.

EX ALTERA porro ſpecie ſecundæ claſſis peculiariter quidam nunc veniunt commendandi. Ubi ex antiquioribus huc potiſſimum pertinent Suidæ (alii Sudam, perperam tamen, vocant) *Collectanea* ſive *Lexicon*; utpote in in quibus de varii generis atque ætatis doctis hominibus & quos conſcripſerunt vel ſaltem conſcripſiſſe feruntur libris agitur. Quod opus eo plurium uſibus inſervire poteſt, poſteaquam integrum cum Latina interpretatione ac notis Æmili Porti Genevæ anno hujus ſæculi undevigeſimo prodiit

Poſt Suidam Conradi Geſneri *Bibliotheca univerſalis* jure meritiſſimo locum ſibi vendicat. Quam ille pro incomparabili omnem bonam eruditionem promovendi ardore, *laboribus maximis*, (*quos longo tempore incredibili cura, peregrinationibus etiam hac de cauſſa ſuſceptis, in lectorum & omnis poſteritatis uſum ſe ſuſtinuiſſe* ipſemet *in præfat.* ſcribit, hos verſus, manifeſta rei veritate approbante, ſubjungens:

Non mihi, ſed ſtudiis communibus iſta paravi.
Sic vos non vobis mellificatis apes.)

quam (inquam) congeſſit, Tiguri apud Froſchoverum anno

anno poſt ſeſquimilleſimum quadrageſimo quinto impreſſam. Quæ uſque adeo præclara eſt, ut ante eum ſimile quid non ſit tentatum, ne dicam perfectum.

Et vero rei evidentia operisque dignitas tanta eſt, ut etiamſi vir optimus, quamquam nihil minus commeritus, à curia Romana ejusque defenſoribus & ipſe, idque ſine dubio quam maxime propter hanc Bibliothecam, in autores damnatos relatus fuerit: nihilominus tamen ab ipſismet pontificiis, vi veritatis adactis, non potuerit non in teſtimonium adduci. Quos inter Conſalus Poncius Legionenſis *præfat. in Phyſiologum Epiphanii* non dubitavit ipſis etiam Geſneri argumentis uti: etſi livor, ut nomen ejus exprimeret, prohibuit, *bibliothecæ ultimum ſcriptorem* duntaxat eum appellando. Dionyſius autem Petavius *præfat. in tomum II. operum Epiphanii* Geſneri diſerte meminit, *diligentiæ* inſuper laudem ei pariter & Conſalo tribuens. Præterea Valerius Andreas *præfat. ad lector. Bibliothecæ Belgicæ* faſſus eſt, Geſnerum in Bibliotheca illa *omnis ævi, omnisque ſcientiæ recenſere ſcriptores*: ſubjungens tamen, eum *plus æquo occupatum & accuratum in numerandis ab Eccleſia damnatis, & ſuæ ſectæ* eſſe. Non poterat videlicet ferri, quod in Geſneriano opere ſubinde adducantur & recenſeantur libri illorum virorum, vel quorum opera Eccleſia priſtino nitori reſtituta fuit, vel qui alias Pontificiorum corruptelas patefecerunt & oppugnaverunt. Sive ita judicaverit ipſe Valerius ex proprio erga Romanam curiam affectu, ſive à ſacris cenſoribus id fuerit profectum.

Neque quidquam laudis incomparabili operi derogare poteſt, ſi quid alicubi circa ſcriptorum vel nomina vel libros prætervifum fuerit, quod inſequentium induſtria deinceps notavit. Nec injuriam ſapit, quod *lib. 1 variar.* Rein p.111.
lection. c. 25 πολυμαθέστατος Reineſius ſcribit: *feſtinato & ob materiæ amplitudinem inelaborato operi non adhibitam fuiſſe*

D *limam,*

limam, ut ſecure quicquid in eo traditur, adhiberi poßit. Quid enim id mirum eſt? præſertim in tam vaſta mole, opere nemini antea tentato, viro inſuper alias occupatiſſimo &, ſi quis alius unquam, laborioſiſſimo.

Geſnerianam illam Bibliothecam dein, ſed in epitomen contractam, circiter mille & octingentis autoribus auctam anno quinquageſimo primo ejusdem ſæculi Baſileæ per Joannem Oporinum, Geſnero tamen ignorante, rurſus edi curavit Conradus Lycoſthenes Rubeaquenſis: Chriſtophori Mylæi, illius paullo ante laudati & in ſuo de ſcribenda univerſitatis rerum hiſtoria conſilio excudendo occupati, efflagitationibus aſſiduis victus. Quæ *Epitome Bibliothecæ Conradi Geſneri* denuo recognita & plus quam bis mille autorum acceſſione, partim ex ipſiusmet Geſneri collectaneis deſumta, locupletata eſt per Joſiam Simlerum, Tiguri apud Chriſtophorum Froſchoverum anno quinquageſimo quinto impreſſa: additis paucis paralipomenis tum aliis tum Gilberti Cognati.

Quod tamen conſilium & inſtitutum quam minime ſeſe Geſnero probaverit, *præfatio ad lectorem Epitomæ Simleri* præmiſſa docet. Poſteaquam enim & Lycoſthenis & præſertim Simleri præſtitam operam commendaviſſet, ita pergit: *Hoc autem intereſt, quod Bibliothecaplerorumque librorum, præſertim veterum, argumenta recenſet, & non raro cenſuras tum noſtras tum ſæpius aliorum adſcribit: ac ſimul plerunque aliquod ſtyli authorum ſpecimen exhibet: & alia quædam interdum addit non inutilia nec injucunda ſcitu. Quibus omnibus Epitome caret, ſola fere authorum nomina cum ſuis ſcriptis breviſsime enumerans. Atqui hæc præcipua Bibliothecæ utilitas eſt, ut cognitis ex ea qui extant ſcriptoribus, & quid quisque ſcripſerit, quo modo, quatenus, quoque ſtylo, & hujusmodi, ſtudioſi inde habito delectu, quos voluerint ſibi*

libros parent. Quæ quidem utilitas æque ex Epitome non contingit. Publicata tamen est ea quoque, ut & typographo satis fieret, & tenuioris fortunæ hominibus, ut quidam judicant. Mihi certe secus videtur. Quamvis enim Epitome minoris væneat quam integrum opus: in hoc tamen per ea quæ dixi adjecta, sæpe admonitus lector, multis fortaßis voluminibus, quæ alioquin emenda aliunde accerseret, abstinebit ac sumptui parcet. Rursus ditiores multa egregia volumina, quorum scilicet argumenta & encomia copiosius descripta fuerint, iis invitati sibi accersere poterunt. Ita fit, ut horum bibliothecæ quibus oblectentur libris augeantur, illorum vero tenuitati consulatur. Hæc ibi Gesnerus, apologiam Bibliothecæ suæ protinus adjungens.

Sicut autem sua quoque isthac opera continuatores illi magnam gratiam, idque merito, à bonis quibusque inïverunt: sic adversarii contra totis viribus id egerunt, ut conatus & labores isti una cum nomine præclarorum virorum ex hominum memoria vel prorsus tollerentur atque abolerentur, vel saltem corrumperentur & mutilarentur. Belgici sane Expurgatores, etsi loci typographique nomen non recte notantes, ita censuerunt: *In Epitome bibliothecæ Gesneri, per Conr. Lycosthenem & Josiam Simlerum, excus. Basileæ, apud Joannem Oporinum, an. 1555. Hæc Epitome quod bene repurgari non poßit, non permittatur in vulgus prodire, sed melius opus de hoc argumento expectetur cito ut speramus edendum.* Ind. Expurg. p. 139 edit. Hanov.

Nihilominus tamen, diris illis machinationibus non obstantibus, Epitome isthæc una cum Bibliotheca ipsa est eritque in pretio: etsi utraque dudum vulgo haberi nequeat. Estque *Bibliotheca Gesneri* (illa in compendium videlicet redacta) post à Simlero *secundum locupletata* Tiguri rursus edita anno septuagesimo quarto. Demum

Bibliothecæ Gesnerianæ supplementum confecit Antonius Verderius, Lugduni anno octogesimo quinto impressum.

Qui postea circa nullius non generis scriptores & ab eis compositos libros ita universe annotandos fuerint occupati, non occurrunt. Nisi quod circa singularum disciplinarum, gentium item atque ordinum scriptores à multis idem labor deinceps fuerit susceptus: conatu itidem perquam laudando plurimumque aliorum commodis juvandis proficuo. Sed de quibus nondum est sermo. Labbei quoque *Bibliotheca bibliothecarum* jam supra memorata licet & ipsa per varia genera sese diffundat; tamen ejus valde dispar ab hoc tractandi modo est ratio. At plane similem cum laudatis optimis viris *novam bibliothecam universalem* nunc molitur Theophilus Spizelius vir doctissimus, ejus specimine in *sacris bibliothecarum arcanis retectis* nuperrime exhibito.

QUI DE promiscue cujuscunque generis scriptoribus sententiam pronunciaverit, ex antiquioribus habemus neminem, præterquam quod nono à nato Christo sæculo Photius Patriarcha Constantinopolitanus *Bibliothecam* conscripserit, qua de CCLXXX circiter libris à sese lectis accuratissimum examen instituit, simul integra librorum argumenta vel potius compendia recitans. Quod opus primo hujus sæculi anno studio & cum notis Davidis Hœschelii Augustæ Vindelicorum Græce prodiit: mox ab Andrea Schotto, viro de republica litteraria præclare itidem merito, Latine versum uberioribusque scholiis illustratum, Antwerpiæ anno sexto, exinde Lugduni, & anno tertio ac quinquagesimo Rothomagi recusum. E quibus Photianis excerptis multorum quoque scriptorum perditorum vel hactenus certe nondum publicatorum notitiam atque doctrinam licet addiscere.

Qui

Qui cum Photio comparari poſſit, è ſequutis ſæculis nemo habetur præter Geſnerum, qui non diſpari ratione de multorum libris agit *Bibliothecæ univerſalis tomo primo*, qui vulgo ſolus Bibliothecæ ejus nomine denotatur. Quibus plane ſimiles ſunt, nuper admodum novo ſed laudabili inſtituto cœptæ, *le Journal des Scavans* ſive *Ephemerides eruditorum*: tanto plurium uſibus accommodæ, poſteaquam jam tres earum tomi non Gallice tantum ſed Latine quoque leguntur: niſi quod in recentiſſime ſcriptis libris duntaxat occupentur.

Ex altero ſupra conſtituto criticorum genere, qui videlicet in librorum ſcriptoribus vel veris aſſerendis vel falſis detegendis vniverſe verſati fuerint, jam qui laudari poſſit neminem invenio. Qui vero in ea re peculiarem operam poſuerunt, vel ad ſequentes ſpecies vel ſingulos quosdam ſcriptores ſeorſim ſpectant, ſuo loco memorandi. Non incommode tamen huc referri videtur Caſparis Barthii, viri plurimæ lectionis & induſtriæ, *de Dubiis ſcriptoribus* liber dudum promiſſus. Sed quem inter alia pridem diſparuiſſe, nec poſt beatum obitum conditoris ſui, inquirentibus repertum eſſe, Chriſtianus Daumius narrat *præfat. in Barthii animadverſ. in Papinii Statii opera.*

DEMUM QUI vitas vel alias eo pertinentia promiſcue cujuscunque generis doctrina clarorum virorum deſcripſerint, ex antiquis ferme neminis liber aliquis ſupereſt. Quod tamen non pauci præſtiterunt. Quales ſunt Sotionis & Alexandri & Antiſthenis διαδοχῆς *ſucceßionis* libri Hermodori περὶ μαθημάτων *de diſciplinis*, Hermippi Βίοι *Vitæ* & περὶ τῶν σοφῶν *de ſapientibus*, Domonis περὶ τῶν φιλοσόφων *de philoſophis*, Phaborini παντοδαπὴ ἱστορία *varia hiſtoria*, Satyri Βίοι *Vitæ*, Amphicratæ περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν *de celebribus viris*, Anaxilidæ περὶ φιλοσόφων *de philoſophis*, aliorum alii libri, à

Diogene Laërtio & aliis in teſtimonium adducti. De quibus ſimilibusque aliis omnibus nihil eſt quod addam, poſteaquam abunde de iis egerunt, primum Wowerius *de polymathia cap. XII*, dein & illo quidem longe adhuc operoſius tam Gerardus Joannes Voſſius in gemino *de Hiſtoricis* tum *Græcis* tum *Latinis* opere, quam Joannes Jonſius in libris *de ſcriptoribus hiſtoriæ philoſophicæ*. De Diogenis autem Laërtii libris deinde quæ notanda ſunt obſervabuntur. Neque vero quod eos qui de philoſophis præcipue egerunt heic collocem quisquam mirabitur, qui & qualis ratio eruditionis apud Græcos præſertim idololatriæ adhuc addictos fuerit, & quam late philoſophiæ vox olim fuerit accepta, noverit.

Primo igitur loco quæ nunc in uſum laudari poſſint ſeſe offerunt Suidæ *collectanea*, jam antea memorata.

Inde in horum ſcriptorum numero poni poteſt, ea cujus dudum ſupra mentionem feci, Joannis Jacobi Friſii Tigurini *Bibliotheca philoſophorum claßicorum autorum chronologica*, ab origine mundi uſque ad ſuam ætatem: quibus acceſſit Patrum, Eccleſiæ Chriſti doctorum, à temporibus Apoſtolorum uſque ad tempora Scholaſticorum, enumeratio: Tiguri anno ſuperioris ſæculi nonageſimo & ſecundo typis Froſchoverianis impreſſa. Item ejusdem *Bibliotheca patrum major*, ſive nomenclator Theologicus, ab origine mundi uſque ad annum Domini 1592, ibidem vulgata. Sed in qua Bibliotheca claſſicorum autorum, præterquam quod tota temporum ſupputatio; qua is ibi utitur, per ſe vitioſa ſit, applicationem inſuper autorum multis locis manifeſte falſam eſſe; adhæc tantum abeſſe, ut ſpuria, ſuppoſititia & ψευδεπίγραφα ſcripta à veris & genuinis ibi diſtinguantur, ut citentur & pro veris obtrudantur; demum diverſos ejusdem nominis ſcriptores ubivis fere per-

perperam confundi: multis ostendit *prolegom. ad lector. in prodrom. hist. liter.* supra jam laudatus clarissimus Lambecius. Qui proinde ea re permotus, ipsemet ad historiam litterariam elaborandam animum appulit: *Prodromi historiæ literariæ libro primo* & secundi quatuor capitibus una cum sciagraphia reliquorum triginta sex librorum Hamburgi decennio abhinc in specimen futuri grandis operis editis: *prolegom. ad lector.* post Prodromum absolutum Prol. inf.
justam insuper *Historiam literariam* pollicitus. Sed & ipsiusmet Bibliothecæ Chronologicæ classicorum autorum Jo. Jacobi Frisii Tigurini novam editionem, cum accurata emendatione supputationis temporum, aliisque necessariis animadversionibus & locupletissimo indice, inter scripta jam absoluta sed nondum edita promisit *catalogo scriptorum*, quem *Rerum Hamburgensium libro secundo* anno post sexagesimum primo publicato subjunxit, idem Lambecius.

Insigniter porro quoque universum hoc argumentum illustravit non semel jam tum supra laudatus Philippus Labbeus, confecta *Bibliotheca Universalis*. Quæ quantopere profutura sit huic doctrinæ, facile æstimare licet è *Claudii Galeni Chronologico elogio*, quod ex illius parte altera excerptum Parisiis anno hujus sæculi sexagesimo vulgavit.

Quibus omnibus demum annumero Joannis Pierii Valeriani *de literatorum infelicitate* libros, à Gesnero tamen & in prima epitome Simlero non indicatos. Ad quos deinceps ante viginti duos annos insignem *appendicem* addidit in Batavis Cornelius Tollius. Nisi quod uterque de solis recentioribus iisque maxime qui (voce stricte accepta) litterati peculiariter audiunt, Pierius etiam præcipue de solis Romanis, Tollius autem unice de Italis & Gallis agat.

De

De elogiorum & imaginum ſcriptoribus collectoribusve quæ huc pertinent, è proxime præcedenti capite ſunt repetenda.

CAPUT VI.

Qui de Theologis & ſacris Chriſtianis ſcriptoribus egerunt recenſentur.

Aggredior jam SEPTIMAM claſſem, iis tributam, qui diſciplinarum ac doctrinarum rationem habuerunt. Qui perquam varii ſunt, pro ſcientiarum & artium diverſitate atque amplitudine.

Ordior autem à Theologis & ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Quorum ætates *primum* omnes illi indicaverunt, qui in primi ordinis conſideratione ſunt commendati: Chronologi videlicet, qui quidem præter publicas regnorum & civitatum res alia quoque annotaverunt. Libros *deinde* ab eis compoſitos indicando ſimul Theologicos ſcriptores notos faciunt catalogorum confectores, tum alii tum præcipue Geſnerus cum ſuis epitomatoribus atque continuatoribus.

PECULIARITER autem complures hoc argumentum ex profeſſo tractaverunt. Ubi primum locum illis tribuimus, qui ſtudii Theologici partitione inſtituta, quinam ad unumquodque caput vel dogma ejus pertineant, & in quo illuſtrando vel agitando potiſſimum quave ratione occupati fuerint aut præcipue excelluerint, ſcriptores indicaverunt. Cui notitiæ comparandæ primum inſerviunt duo *catalogi*, quos *libro quarto Bibliothecæ* ſuæ *ſanctæ* Sixtus Senenſis addidit: item decem generales illi *indices*, quos ſuo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* libro ſubjunxit Robertus Bellarminus. Quamvis enim in recentiorum ſcriptorum enumeratione non niſi eorum duntaxat ii faciant

faciant mentionem, qui Romanis ſacris addicti fuerunt, excluſis ſimpliciter aliis omnibus: nihilominus tamen non poterit non etiam ita ſcriptorum iſthæc recenſio magno aliis eſſe uſui. Niſi plane fallor, huc vel ad ſequentem certe ſcriptorum Eccleſiaſticorum cenſum pertinent quoque Joannis Molani Lovanienſis *Bibliotheca Theologica* & Cornelii Schultingii *Bibliotheca Eccleſiaſtica*, Valerio Andreæ memoratæ.

Longe copioſiſſimum vero in veterum & recentiorum Theologorum libros, de quolibet etiam minutiori themate ſive capite tractandi amplam materiam ſuggerentem, indicem exhibuit laborioſiſſimus Geſnerus in *Partitionibus Theologicis*, quæ Pandectarum Univerſalium ſive ſecundi Bibliothecæ tomi librum ultimum conſtituunt, Tiguri à Froſchovero ſuperioris ſæculi anno undequinquageſimo excuſis. Alii conciſius quidem, perquam utiliter tamen, eandem viam ſtudioſis monſtraverunt. Quod inter alia faciunt Gisberti Voëtii *Exercitia & Bibliotheca ſtudioſi Theologiæ*, præcipue vero ejus *lib. 2, ſect. 2*, qua ſeorſim de libris Theologicis agitur. Idem multo fuſius adhuc egit *libro ſecundo Bibliothecæ Theologicæ contractæ* Gerhardus Meierus. Et operoſius inſuper Geſneri civis atque ad ejus diligentiam proxime accedens Hottingerus *Bibliothecarii quadripartiti parte quarta*. Alios ejus generis ſcriptores laudare non opus eſt, poſteaquam Meieri & Hottingeri induſtria jam eos memoravit. Secundum locos communes *Bibliothecam* ſuam & *Theologicam* & *Philoſophicam* adornavit quoque Paulus Bolduanus, ſed ita ut conatui operæ pretium minime reſpondeat.

Seorſim *de ſacris & catholicis S. ſcripturæ interpretibus* commentariũ confecit, is quem ſupra jam laudavi, Andreas Schottus. Cui tamen quinam Catholicorum nomine denotentur, neminem latet.

 De-

Demum huc pertinent, quorum mentio jam tum non ſemel itidem facta fuit, Theophili Spizelii *ſacra bibliothecarum illuſtrium arcana retecta, ſive manuſcriptorum Theologicorum in præcipuis Europæ bibliothecis exſtantium deſignatio:* novis editionibus adornandis præcipue profutura.

ALII promiſcue de ſcriptoribus Eccleſiaſticis egerunt, idque duplici potiſſimum modo: aliis temporum rationem habentibus, aliis duntaxat alphabeticum ordinem ſequentibus. Quos quidem inter tractandi modos quanta ſit differentia, tum alias prudentior quisque facile æſtimaverit, tum in fine univerſæ hujus παιδείας manifeſto oſtendetur.

Primus igitur locus heic non immerito datur Hieronymo, qui Euſebii ductum magna ex parte ſecutus librum reliquit *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis* ſeu *viris illuſtribus*, ſæculo à nato Servatore quarto. Hieronymi librum Græce vertit Sophronius, is cujus mentionem facit inter ceteros ipſemet Hieronymus. Nec id ſane infeliciter, judice Eraſmo *præfat. in ſchol.* Qui verſionem eam è regione quoque apponi curavit. Additi ſunt poſtea à ſtudioſo quopiam ex alio catalogo & ſortaſſis à Dorotheo reliqui Apoſtoli & tres eorum præcipui diſcipuli, qui tamen nihil ſcripſerunt eoque ab Hieronymo præteriti ſunt. Quæ tamen non minus vertit idem Eraſmus, ne Latina Græcis non reſponderent.

Similem in modum ſæculo quinto Gennadius Maſſilienſis itidem *de viris illuſtribus* librum compoſuit. Quemadmodum ſeptimo ſæculo Iſidorus Hiſpalenſis *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, & eodem Hildephonſus Toletanus *de viris illuſtribus.* Quorum hujus liber inter Iſidori opera ſolet comparere. Id quod ſine dubio inde factum, quod Iſidori vitam deſcripſerit hic Hildefonſus. Initio porro

ſæculi

sæculi duodecimi Sigebertus Gemblacensis duos libros *de viris illustribus*, tertio decimo Honorius Augustodunensis *de luminaribus ecclesiæ* sive *scriptoribus ecclesiasticis* unum, & eodem declinante Henricus Gandavensis cognomento Gœthalsius *de viris illustribus* unum librum scripserunt.

E quibus Hieronymi, Gennadii, Honorii & Sigeberti de scriptoribus Ecclesiasticis libros recensuit junctimque Coloniæ excudi curavit Suffridus Petrus Leovardiensis Frisius. Omnes autem septem nomenclatores illos titulo *Bibliothecæ Ecclesiasticæ* cum auctariis & scholiis Antwerpiæ vulgavit Aubertus Miræus. Seorsim Isidori librum notis à sese illustratum in opere *Hispaniæ Illustratæ* Andreas Schottus exhibuit.

Hisce postmodum sæculo quintodecimo exeunte accessit Joannes Trithemius, (ceu vulgo voce contracta nominatur, qui Trittenheimius à patria, vico ad Mosellam prope Augustam Trevirorum sito, proprie nuncupandus esset,) insigni catalogo *scriptorum Ecclesiasticorum* sive *illustrium virorum* confecto. Quem integrum suæ *Bibliothecæ* inseruit toties jam laudatus Gesnerus: post alias autem varias editiones una cum reliquis ejus operibus recensitum publico dedit Marquardus Freherus.

Ex qua enumeratione illud quoque simul observatur, per *viros illustres* aliquam multis sæculis apud Christianos non nisi illos fuisse denotatos, qui Theologica studia tractaverunt, atque ita nomen illud proprie tributum fuisse scriptoribus Ecclesiasticis. Nisi quod complures ex illis ipsis tum alia tum Philosophica quoque studia coluerint. Accedit, quod & per aliquot sæcula perquam rara fuerit eruditio, & ea unice inter monachos hæserit atque apud eos quasi delituerit.

Postea superiori sæculo magnam hoc in genere ope-

ram navavit Sixtus Senensis. Cujus *Bibliothecæ sanctæ liber quartus* potissimum huc pertinet, nisi quod in illis recensendis unice sit occupatus, qui sacram Scripturam scriptis suis quoquo modo illustraverunt. Estque Bibliotheca isthæc Hottingeri judicio *cæteris religionis suæ sociis, ob variam scriptorum copiam, & erectum in multis judicium, anteferenda.* Sub finem vero ejusdem sæculi Antonius Possevinus & *Bibliothecam* & *Apparatum sacrum* scripsit. Quod utrumque opus itidem hujus generis est, inprimis autem Apparatus, quem propterea quoque Pontificii præ aliis commendant. Unde Valerius Andreas, Possevinum *in Apparatu sacro utilem magis dedisse operam Ecclesiæ*, quam Gesnerus sua Bibliotheca fecerat, censet. Neque vero Apparatum istum insignem esse librum negamus: quo tamen affectu Gesneri Bibliothecam illi postponant, cuivis liquet. Fatetur tamen idem Valerius, Possevinum, utpote *hominem Italum, hallucinari interdum, & fere circa nomen aut cognomen scriptoris exteri.* Huc etiam sine dubio spectat inter Onuphrij Panvinii libros absolutos, sed in lucem non emissos, memoratum *Chronicon Ecclesiasticum summorum Pontificum, Imperatorum, Patriarcharum, Conciliorum, virorum sanctitate & doctrina illustrium.*

Hott. in Biblioth. p. 11.

Sub initium porro hujus sæculi Robertus Bellarminus librum edidit *de scriptoribus Ecclesiasticis*, qui inter præcipuos hujus argumenti libros non immerito numeratur; bis Coloniæ, tertium Lugduni impressus. Nisi quod & ipse Protestantium scriptorum plane nullam habeat rationem, idque ex omnibus manifesto odio. Libri illius continuationem ab anno 1500 ad annum 1600 confecit Andreas du Saussay Episcopus Tullensis, Tulli Leucorum triennio abhinc excusam. Quibus jungendus est Philippus Labbeus, tum exiguo libello *sanctorum Patrum & scripto-*

ſcriptorum Eccleſiaſticorum Chronologiæ, tum *tomis duobus diſſertationum philologicarum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis* publico datis; quibus Bellarmini librum recenſuit & auxit, additis etiam vindiciis contra Cocum, Rivetum, & alios. Tametſi vero ejus teſtimonio non ſemel utitur doctiſſimus Hottingerus, tamen alicubi eo laudato addit: *ſcriptor bilioſus, qui plane Iſmaelitica temeritate optimis quibusvis, nulla religionis habita ratione, inſultat ſcriptoribus. Quo verò vel ſucceſſu, vel cauſæ Pontificiæ compendio, alibi diximus. Eſt ſcriptum ejus, quod non diffiteor, ager laborioſe quidem cultus; ſed in quo ſpinæ & urticæ ita luxuriant, ut ne quidem, quod bonæ frugis eſſe videatur, aliunde depromptum, decerpi queat.* Hott. Biblioth. p. 11.

In eodem argumento verſatur Johannis Gerhardi viri celeberrimi *Patrologia*. Promiſit quoque *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis* commentarium, vir de alio non uno genere bonæ eruditionis præclare meritus, Gerardus Johannes Voſſius: ſed promiſit tantum. Præterea in eodem argumento occupatur *liber primus Bibliothecæ Theologicæ contractæ* Gerhardi Meieri. Nec minus eidem dicata eſt *Bibliothecarii quadripartiti pars tertia* toties laudati Hottingeri. Nam Friſii *Bibliotheca Patrum* non eſt quod denuo memoretur. Multæ quoque eruditionis eſt, ob varias eorum editiones indicatas imprimis commendabilis, Chriſtophori Sandii *de Veteribus ſcriptoribus Eccleſiaſticis* tractatus, præfixus ejusdem *Nucleo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, nuper in publicum emiſſo.

His accenſeri debet Ludovici Bail haud pridem edita *Concionatorum Bibliotheca*, in qua illuſtrium per omnes ætates & ſæcula concionatorum elogia, hiſtoriæ, artes & florilegia, nec non plurimæ ex ineditis manuſcriptis lectiones antiquæ exhibentur. Neque ſilentio prætereundus

hic est Matthiæ Flacii Catalogus Testium veritatis, utpote in quo de recentioribus quibusdam Theologis nonnulla, minus alias obvia, reperiuntur.

Quibus addi potest *catalogus præcipuorum Theologorum qui post reformationem vixerunt*, quem suæ *Historiæ Ecclesiasticæ* subjunxit vir doctissimus Johannes Micrælius: majorem laudem promeritus, si nihil affectibus in eo dedisset.

HIS INSUPER omnino quoque jungendi sunt illi, qui tum aliorum tum veterum præsertim vel saltem eorum nomina præ se ferentibus Theologorum scriptis sub censuram vocatis, multa suppositititiæ fœturæ convicerunt. Qualia quidem in nullo non etiam alio bonæ eruditionis scriptorũ genere habentur: tamen tanto major heic eorum est copia, quanto turpius ac periculosius fraudes illæ plurimis imposuerunt. Redundant hæc videlicet plerumq; quam maxime in ipsammet doctrinã. Quod in aliis generibus non perinde fit, ubi propter idem nomen vel aliam caussam potissimum circa veros librorum parentes fuit aberratum.

Quos inter primus locus non immerito fortassis tribui potest Gelasio Papæ, qui exeunte sæculo quinto in concilio Romæ habito decretum sanxit, à Gratiano in *distinct. XV. can. Sancta Romana* relatum, quo complura apocrypha & ab hæreticis conficta scripta repudiantur, & sub anathematis indissolubili vinculo in æternum damnantur.

Post Romani Pontificis sacra tyrannis magis magisque invaluit. Donec tandem per Tridentina decreta longe plurimi libri, partim cum suis autoribus publice proscripti, partim clanculum mutilati depravatique sunt, confectis in eam rem indicibus prohibitoriis atque expurgatoriis. Damnantur autem iis libri non eo nomine, quod bonæ fidei autores mentiantur; sed quod ab iis sint conscripti, qui puriorem doctrinam professi curiæque Ro-

manæ vitia insectati fuerunt. Qua de caussa quoque paullo ante laudati Pontificii scriptores nullum temere laudant, qui sacris ipsorum non fuerit addictus. Sed istiusmodi censores nequaquam nunc morabimur, quum plane hinc sint alieni, supra quoque jam tum quæ necessaria scitu essent de iis notata.

Quum vero superiori sæculo per singularem Dei optimi maximi gratiam omnis generis melior eruditio & una salutaris doctrinæ Christianique religiosi cultus puritas, quæ utraque per aliquot retro sæcula altis quasi tenebris consopita fuerat & oppressa, rursus in apricam lucem revocaretur; studiose quoque à doctis viris inquisitum fuit in omnis generis scripta, quæ doctorum Ecclesiasticorum, inprimis autem priscorum Patrum, nomina præ se gerunt. Quod ipsum princeps omnium strenue magnoque cum judicio aggressus est Desiderius Erasmus Roterodamus: omnium istorum à sese recensitis tum integris voluminibus tum singulis libris, prout & ubi res postularet, accuratas censuras præmittendo.

Insignem deinceps operam alii quoque huic rei impenderunt, inprimis autem Angli. E quibus primum id fecit Johannes Juellus in suis adversus Pontificios scriptis libris. Nec minus deinde Johannes Rainoldus, in *Apologia Thesium*, in *Lectionibus*, aliisque libris. Quorum studio post excitatus longe operosius & plane ex professo idem argumentum tractavit Robertus Cocus, conscripta sive potius accurate collecta *Censura quorundam scriptorum*. Integrum namque titulum adscribere non opus est, quum liber & suo merito quidem sit notissimus, bis etiam in hac ipsa Academia nostra recusus. Quibus addendus est Thomæ Jamesii *de corruptione Scripturæ*, *Conciliorum & Patrum* liber.

Simi-

Similiter è Gallis quoque nonnulli eandem rem præclare perſecuti ſunt. Primum Andreas Rivetus, confecto *Critico ſacro.* Qui uſque adeo paſſim doctis ſeſe probavit, ut editio ejus aliquoties jam ſit iterata. Seorſim Epiſtolarum, quæ ſub nomine primorum præſulum Romanorum per aliquot ſæcula Occidentalibus Eccleſiis obtruſæ ſunt, accuratiſſimum examen inſtituit in *Pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulantibus* David Blondellus, vir antiquitatis hiſtoriæque Eccleſiaſticæ ſingulariter peritus. Poſt Johannes Dallæus edidit librum *de Pſeudepigraphis Apoſtolicis*: & dein alium *de ſcriptis Dionyſio Areopagitæ & Ignatio Antiocheno ſuppoſitis*, una cum *elencho libri de cardinalibus Chriſti operibus Cypriano falſo & inſcite inſcripti*, & *cenſura Ruffinianæ Origenicorum aliquot operum interpretationis.*

Atque hi præcipui ſunt in iſthoc genere nunc laudandi. Illorum enim qui aliud agentes per occaſionem duntaxat argumentum illud attingunt, nec poteſt nec debet nunc peculiaris mentio fieri.

EX EORUM qui imagines congeſſerunt ordine memorandam ſeſe offert πατερολογία ſive *deſcriptio S. Patrum Græcorum & Latinorum, qui in Auguſtana bibliotheca viſuntur*, æri inciſa per Raphaëlem Cuſtodem, Auguſtæ anno hujus ſæculi vigeſimo quarto vulgata.

DEMUM hanc tractationem claudat *Hiſtorica & iconica deſcriptio præcipuorum Hæreſiarcharum*, qui ab Eccleſia catholica & Chriſtiana ut ſectarii ac fanatici excommunicati rejectique ſunt, in qua eorum dogmata non minus quam vitæ initium & finis breviter perſtringuntur, per C. V. S. anno hujus ſæculi nono apud Joh. Janſonium edita.

CAPUT VII.

Qui de Iurisconsultis & eo pertinentibus libris egerunt indicantur.

QUod ad eos jam pertinet, qui libris scriptoribusque Juridicis enarrandis operam tribuerunt; *primum* heic iterum in memoriam revocandi sunt illi, qui in universali Chronologia promiscue doctrina clarorum virorum mentionem fecerunt. *Deinde* quinam è Catalogorum scriptoribus huc pertineant, è superioribus itidem repetendum est. Inter illos autem potissimum eminet *Bibliotheca* Gesneri una cum continuatione Simleriana. *Tertio* quadamtenus huc etiam spectant Trittenheimius, Bellarminus, aliique, qui dum de scriptoribus Ecclesiasticis agunt, simul quoque præcipuos commemorant Juris Canonici sive collectores sive interpretes.

IN IIS autem qui ex professo huic rei operam suam dicaverunt, & primum quidem qui ratione argumenti habita, in quo quilibet potissimum fuerit occupatus, catalogos Juridicorum scriptorum confecerunt, primum locum teneat Joannis Fichardi *Index scriptorum à veteribus Jureconsultis editorum, secundum diversas materias.* Quem *partitionum universalium libro XIX.* recenset Conradus Gesnerus. Significat autem index ille, ceu titulus ipsemet loquitur, non nisi priscos Jurisconsultos, quorum fragmenta solum supersunt.

Longe diffusior est *Index omnium librorum in Jure tam Pontificio quam Civili paßim editorum*, primum compositus à Joanne Nevizano, deinde auctus per Ludovicum Gomesium, & rursus per Joannem Fichardum ingenti accessione locupletatus. Quem eidem libro *Pandectarum* suarum inseruit, secundo loco relatum, adjectis *corollariis*,

idem Gesnerus. Eundem postea Joannes Baptista Zilettus, & demum Joannes Wolfgangus Freymonius magna parte auctiorem in lucem dedit, hac inscriptione: *Elenchus omnium auctorum, qui in Jure tam Civili quam Canonico, vel commentando, vel quibuscunque modis explicando, ad nostram usque ætatem claruerunt, nomina & monumenta complectens.*

Ejusce generis est & *Index alter*, vasto operi *Tractatuum Universi Juris*; autoritate Gregorii XIII Pontificis in unum congestorum, præmissus: quamquam ultra scriptores, quorum libri in illo opere continentur, sese non extendens. Neque silentio prætereundus est Felicis Contelorii *Index legalis auctorum materias Juris ex professo tractantium*, è bibliotheca Joannis Baptistæ Coccini collectus, subjunctusque *quinto tomo collectaneorum in Jus Pontificium* Augustini Barbosæ. Sunt & alii nonnulli ejusmodi catalogorum de Juris commentatoribus scriptores; sed quod omnes singulatim nominare nihil attinet.

Non alieni quoque hinc sunt, tametsi cum catalogorum collectoribus nequaquam confundi debent, qui diversas Jurisconsultorum sententias in unum conspectum collatas exhibent: illi præsertim, qui dedita opera id agunt, & complures adducunt. Simul enim eopse multorum scriptorum memoria non potest non commendari. Ut proinde hactenus illi quoque ad librorum Juridicorum cognitionem parandam non parum conducant, etiamsi per se & primario eo non spectent.

PERGIMUS ad eos, qui de Jurisconsultis, sive secundum ætates, sive successiones, sive vitarum descriptiones, sive alios modos, egerunt. Quod ipsum multi fusius persecuti fuerunt, ita ut nonnulli universam legum ferendarum jurisque dicundi rationem apud Romanos olim usitatam simul tradiderint. Quod quidem tametsi ad antiqui-

tiqui-

tiquitatem illustrandam plurimum facit, aliasque permagni est usus: tamen à nostro instituto plane est diversum.

Ubi inter omnes familiam quasi ducit Pomponii *enchiridion* sive titulus *de origine Juris*, utpote qui magnam partem in priscis Jurisconsultis, etiam qui scriptis claruerunt, laudandis occupatur. De quibus omnibus propterea quoque prolixius disseruerunt, qui commentariis eum illustraverunt. Id quod fecerunt tum alii, tum Marcus Antonius Muretus, Ventura Cæcus, Antonius Garron.

Idem non minus præstitit Georgius Eberlinus itidem in *explicatione tituli de origine juris, cap. 35 & sequentibus*: diligenter annotatis omnibus locis, ubi in Jure Civili Justiniani Imperatoris autoritate digesto vel è priscorum Jurisconsultorum libris excerpta referuntur vel alias eorum mentio habetur. Hic est Eberlinus, qui in perpetuam nominis sui laudem Academiæ Juliæ Bibliothecæ suam legavit. Habetur ibidem imago viri ἀχειρ, hac addita circumscriptione:

En Eberlinum tibi, qui dum prætulit auro
Jusque fidemque, & opum noluit esse cliens;
Munera non cepit, quamvis oblata frequenter:
Unde est, effigies quod careat manibus.

Id quod in ejus mentionem incidendo dignum fuit quod commemoraretur.

Inter tituli vero ejus illustratores porro quoque commendandi sunt Christophori Adami Ruperti *libri tres animadversionum ad enchiridion Pomponii de origine juris ejusq; interpretibus*, secunda præsertim cura elaborati. Quarum *liber tertius* huic argumento nostro omnino est dicatus. Quibus omnibus accenseri itidem debet Nicolai Henelii *de veteribus Jureconsultis, è quorum legibus justitiæ Romanæ templum exstructum est*, commentarius, pridem Lipsiæ bis editus.

PRÆTER eos porro partim de veteribus, partim de recentioribus, partim de utrisque Jurisconſultis alii egerunt. E quibus primum huc pertinet Aymari Rivallii *Hiſtoriæ Juris Civilis liber quintus*: ubi de priſcis Jurisconſultis, qui ſub primis Romanis Cæſaribus vixerunt, & ex quorum ſcriptis excerpta hinc inde in Pandectis adducuntur, agit: à Capitone incipiens, & in Sexto Pedio deſinens. Complurium adhuc *veterum Jurisconſultorum Vitas* deſcripſit Bernardinus Rutilius: qui à Papirio majore incipit, & in Æmilio Papiniano deſinit. Conciſius præcipuos Jurisconſultos à Quinto Mutio Scævola ordiendo recenſet Catellianus Cotta in exiguo libello *de Jurisperitis*: ſed qui longius progreditur, quam modo laudati, utpote in Andrea Alciato deſinens. Diffuſior adhuc eſt *Epitome Virorum illuſtrium, qui vel ſcripſerunt, vel Jurisperitiam docuerunt in ſcholis, & quo tempore floruerunt*, juxta ordinem alphabeticum confecta à Marco Mantua. Qui tamen de illis duntaxat agit, qui poſt ejus uſum in Italia reſtitutum vixerunt. Quod etiam fecit jam ante laudatus Johannes Fichardus, conſcripta *Perioche vitarum recentiorum Jureconſultorum*, ab Irnerio uſque ad Huldrichum Zaſium. Poſt quos omnes fuſe quoque hoc argumentum tractavit Valentinus (Valerius Andreas per errorem Joannem vocat) Forſterus *libro ſecundo & tertio hiſtoriæ Juris Romani*: ita tamen, ut tantum non unice in Italis deſcribendis ſit occupatus, ſub finem aliarum gentium celebriores Jurisperitos nominetenus duntaxat perſtringens. Meruit autem integra illa Forſteri Hiſtoria juxta cum quinque iſtis modo laudatis hujus argumenti ſcriptoribus cooptari in ingens illud opus *Tractatuum Univerſi Juris*, Gregorii XIII autoritate congeſtum. Illud cujus paullo ante jam mentio

facta est, & de quo *Aurifod. par. 2, c. 10, §2*, hæc refert Hieremias Drexelius, ille non minus ob insignem moderationem quam variam eruditionem laudandus: *Vir Jureconsultißimus*, ait, *mihi non solum notus, sed jam dudum familiaris, de hoc ipso jurisprudentiæ thesauro sæpicule disserens: Quid rivulos, inquit, sectamur, quid libros congerimus, & bibliothecas implemus? Hic simul omnia poßidemus, quæ de Jure dicundo docemus.* Hæc Drexelius. Forsteri tamen Historia tum ab aliis tum inprimis à doctissimo Ruperto notatur *lib. 3 animadvers. in enchirid. Pompon. c. 1.* Drex p 207 Rup. p. 301 & 302.

Vitas insuper præcipuorum Jurisconsultorum antiqui pariter ac recentioris ævi litteris mandavit, aliis etiam ad antiquitatis & variæ eruditionis illustrationem pertinentibus scriptis clarus, Guidus Panzirolus, compositis *libris IV. de claris legum interpretibus.* Qui anno hujus sæculi supra quinquagesimum quinto Venetiis secundum prodierunt, editi ab Octavio Panzirolo, fratris filio: collecti fortassis & in ordinem coacti ab eodem, è diversis patrui ejus argumenti commentariis: quantum sane è *vita Guidi* operi præmissa licet colligere. Nisi quod & ille, paucissimis duntaxat exceptis, solis Italis suis celebrandis omnem operam impenderit: quartus etiam liber ab hoc quidem negotio pæne totus sit alienus.

Habetur etiam præterea tractatus Baldi Perusini *de commemorationibus famosißimorum doctorum in utroque jure.* Item Joannis Baptistæ Caccialupi *de illustribus Jurisconsultis* libellus. De recentioribus Jureconsultis, illis videlicet qui post ejus usum restitutum celebres fuerunt, egit etiam, strictim tamen, Raphaël Volaterranus *lib. XXI. Anthropologiæ.* Porro Bernardinus Gasnerus scripsit *nomenclaturam doctorum in utroque jure paßim per compendia literarum citatorum, ordine literarum.* Joannes autem Lorichius Raph. fi. b. fin.

confecit *catalogum Jurisconsultorum veterum, quotquot aut vita aut scriptis celebres sunt, elegis descriptum.* Cui additi sunt *recentiores Jureconsulti, singulis distichis comprehensi,* per Matthæum Gribaldum. Quibus omnibus accenseri quoque debent Joannis Bertrandi Βιονόμικον sive *de Jurisperitis* libri duo, Tolosæ anno hujus sæculi supra vigesimum secundo impressi. Sunt & alii nonnulli non minus præterea huc pertinentes; sed quorum in sequentium classium sive generum tractatione, convenienti cujusque loco, ratio habebitur.

DENIQUE quorundam *illustrium Jureconsultorum Imagines, quæ inveniri potuerunt, ad vivam effigiem expreßæ,* ex museo Marci Mantuæ Benavidii Patavini Jureconsulti clarissimi Venetiis prodierunt superioris sæculi anno septuagesimo, ejusdem cujus Epitome virorum illustrium paullo ante fuit adducta.

CAPUT IIX.

Medicorum scriptorum notitia è quibus petenda sit memorantur.

MEdicos scriptores ac libros itidem diversis modis sunt qui annotaverunt ac descripserunt. Nam qui generatim sive in *Chronologia* sive in universalibus variisque *Catalogis* inter alios doctrina claros viros Medicorum quoque meminerunt, eorum non opus est nova repetitione ac laudatione. Satius igitur fuerit protinus recensere, qui in istis celebrandis dedita opera studium suum collocaverunt.

INTER eos itaque qui Medicorum scriptorum indices confecerunt primus sese offert Otto Brunfelsius, conscripto *catalogo illustrium Medicorum,* sive *de primis Medicinæ scriptoribus* libro. Deinde in eodem argumento laboravit

boravit Robertus Constantinus, edito *nomenclatore insignium scriptorum, quorum libri extant vel manuscripti, vel impreßi, indiceque totius* Bibliothecæ *atque Pandectarum Gesneri.* Quem quidem Nomenclatorem miror à Schenckio in *bibliotheca* fuisse omissum, quum tamen *præfat. ad lector.* manifesto eum indigitet. Perinde ut Vanderlindius Gesneri Bibliothecam non nominavit, Epitome tamen ejus à Simlero confecta memorata. Post quem Paschalis Gallus idem tractavit, scripta *Bibliotheca Medica*, sive *catalogo illorum, qui ex professo Artem Medicam in hunc usque annum* (superioris sæculi nonagesimum) *scriptis illustrarunt: nempe quid scripserint, ubi, qua forma, quove tempore scripta, excusa, aut mss. habeantur.* Eidem notitiæ parandæ multum quoque inservit Antonii Possevini *lib.* 14 *Biblioth. selectæ cap.* 7 & 28. Operosius adhuc porro id agressus est Joannes Schenckius, sed ab ipsius obitu perfecit Joannes Georgius filius, itidem vulgata *Bibliotheca Medica.*

Post quos omnes Joannes Antonides Vander Linden duos libros *de scriptis Medicis* congessit, septimo abhinc sive sæculi hujus sexagesimo secundo anno tertium publicatos. Quorum quartam editionem à discipulo ejus quodam jam insuper adornari accepimus. E quibus *primus liber* ad istam scriptorum Medicorum cognitionem, cujus parandæ rationem jam monstro, spectat. Quoniam vero omnium recentissime juxta ac diffusissime isthunc laborem suscepit Vanderlindius, eapropter etiam præ aliis ad usum commendandus est. In quo proinde ut majori cum fructu quis versari possit; quæ in eo opere mihi deprehensa sunt παροράματα, visum fuit monere.

Scilicet *primum* alicubi observatur inter diversos scriptores, ejusdem tamen nominis, haud fuisse distinctum. Cujus illustre exemplum contigit in Casparo (ipse vocat

Gasparem)

Gaſparem) Hofmanno Profeſſore Altdorffino celeberrimo, quem plane confundit cum ὁμωνύμῳ hoc eſt altero Caſparo Hofmanno, Principis Electoris Brandenburgici Archiatro, qui ſuperioris ſæculi anno octogeſimo quarto obiit, quum iſte hujus ſæculi anno quadrageſimo octavo: cui tamen illa ſcripta tribuit, quæ ſunt alterius. Geminus quidam error obſervatur etiam in Marco Antonio Severino & Marco Aurelio Severino circa librum de Chocolata Inda. Ita uni Joanni Sculteto adſcribit, quæ ſunt diverſorum ὁμωνύμων. Contra *deinde* ex uno ſcriptore nonnusquam duos facit. Exemplo eſt Claudius de la Courvee, à quo diſtinguitur Joannes Claudius de la Courvee: quum paradoxa tamen utrique tributa non niſi unica ſint unicumque agnoſcant parentem. Idem ſine dubio factum in Benedicto Matamoro & altero cui nullum prænomen adſcriptum eſt Matamoro. Cujusce generis eſt & repetitio binorum, quos eosdem utrobique memorat, Silveſtrorum & Sylveſtrorum. *Tertio* nec in eo quoque ſatis ſibi lectorique cavit, quod libros à ſcriptoribus aliquando promiſſos eodem cenſu cum publicatis habeat: expreſſe ſimul indicatis loci typographique nominibus, anno item editionis & forma librorum: quum tamen ipſimet illi ingeniorum conceptus numquam pervenerint ad formationem, nedum in lucem prodierint. Factum id ſane, dum Hermanni Conringii noſtri τοῦ πάνυ ſcripta recenſendo de Vita & Morte, de Origine formarum, de Vitiis nutritionis libros memorat. Sed & alias *quarto* majorem accurationem nonnuſquam haud immerito deſideres. Ita catalogum Bibliothecæ Mediceæ ab Henrico Ernſtio vulgatum refert ad Bibliothecarum Medicarum ſcriptores, non duntaxat *lib.1, pag.237.* ſed etiam *lib.2, p.642, col.2.* Nec enim errorem excuſaveris, utroque loco collato. In Conringii porro

porro ſcriptis Eraſti opera Chirurgica nominat, quæ ſunt Fieni. Eidem Conringio tribuit librum de Anima; qui eſt Caſpari Hofmanni viri clariſſimi, ampliſſimo Conringio dicatus. *Quinto* porro Schenckius nonnulla annotavit, quæ Vanderlindius ſilentio prætermiſit. Quod obſervatur in Euace, Marbodeo, Petro Barabo, Muſando, Petro de Muſantina, Nicolao de Lima, Roberto Conſtantino, Michaële Neandro, Bartholomæo Viotto, Antonio Nigro, Guilhelmo Turnero, Joanne Schenckio, compluribus aliis. Quorum partim plane nullam facit mentionem: partim illa non tangit, quæ Schenckius narrat, cognitione tamen apprime quoque digna. Quod fortaſſis inde factum, quod nullorum librorum meminiſſe voluerit, niſi de quorum editione vel ſibi, vel qui operam in nominibus colligendis contulerunt amicis, certo conſtaret, aut quos editos eſſe ſaltem illi putarent. Nullorum quoque, præterquam qui vel Græce vel Latine leguntur, habuit rationem: quum Schenckius reliquorum quoque nomina non minus annotaverit, ipſorum librorum licet enumeratione peculiaribus indicibus reſervata. Præter hæc autem *ſexto* partim propter ὁμωνυμίαν partim neſcio quî contigit, ut unus idemque liber diverſis ſcriptoribus ſimul fuerit tributus. Quomodo de Chocolata Inda commentarius duobus Severinis adſcribitur, inter quos tamen integrum ſæculum circiter interceſſit. Eadem ratione Trichiaſis & in Joannem Schröderum & in Joannem Sculte-tum conſcriptores refertur. *Septimo* demum vera nomina propria ſcriptorum nonnuſquam leguntur corrupta. Ita Theodorus Zwingerus vocatur Suingerus, Eccardus Euardus, Schefferus Scheflerus. Sed hoc fortaſſis in mendas, vel pennæ vel typothetæ aberrantis, commune illud librorum vitium, referri debet.

DOCTRINÆ jam rationem habendo qui de Medicis ſcriptoribus commentarios confecerunt, rurſus haud unius ſunt generis. Alii generalius ſecundum ſummas Artis partes id fecerunt: alii conciſius, illos quoque qui in minutiſſimis particulis ſive lemmatibus illuſtrandis aliquid præſtiterunt, ſimul & dedita opera indicantes: alii demum in una alterave duntaxat parte fuerunt occupati.

Princeps omnium id molitus publicoque pollicitus fuit tum alias tum *præfatiuncula ad lectorem* & *epiſtola dedicator*, *partitionum Theologicarum* laborioſiſſimus atque cujuscunque generis bonæ doctrinæ in majus promovendæ ſtudioſiſſimus Geſnerus, *Pandectarum ſive partitionum univerſalium*, quæ *Bibliothecæ* ſecundum tomum conſtituunt, *libro vigeſimo* illi rei deſtinato. Sed quam ſpem omnem & aliæ plurimæ occupationes & immaturus optimi viri deceſſus interceperunt. Poſt ex parte quid hujus generis congeſſit Paſchalis Gallus, in *Bibliotheca Medicâ*, ſimul exhibito catalogo illorum, qui ſpeciatim & ex profeſſo tum alia tum in præcipuorum quorundam Medicorum libros tum de nonnullis Medicinæ argumentis ſcripſerunt. Quem mox excepit Iſrael Spachius, edito *nomenclatore eorum, qui Artem Medicam ſuis ſcriptis illuſtrarunt, ſecundum locos communes ipſius medicinæ*. Joannes autem Schenckius idem argumentum magno conatu atque ad exemplum Geſneri fuit aggreſſus, *Pandectarum & partitionum medicinalium* grande opus inque octo libros diſtinctum conſcribendo. Quod tamen quum ipſi abſolvere non licuerit, Joannes Georgius filius ſe publicaturum promiſit. Qui & ſingulorum librorum ſummas in *Bibliotheca Medica* exhibuit, ipſiusmet autem operis *Pandectarum* nihil edidit præter *librum quartum* ſive potius ejus rudimentum, quo de Semeiotica ejusque ſcriptoribus agitur.

Idem tamen paullo ante ex eodem *Pandectarum* opere excerptum vulgavit quoque *pinacem auctorum qui gynæcia scriptis illustrarunt*, additum Joannis Guinterii *gynæciorum commentario.* Porro heic memorari debet Matthiæ Moroni *Directorium Medico-practicum*, bis Lugduni, tertium Francofurti ad Mœnum impressum: pathologico & therapeutico studio potissimum conducibile. Huc etiam referenda venit Petri à Castro *Bibliotheca Medici eruditi.* Singulari illi notitiæ comparandæ dicavit quoque *librum secundum de scriptis Medicis* Joannes Antonides Vander Linden. Præcipui demum, qui in unaquaque Artis parte illustranda aliquid præstiterunt, scriptores laudantur in χαρισεύτῳ Conringii nostri *Introductione in Artem Medicam, cap IV & sequentibus.* Quæ doctrina tanto magis omnibus debet esse commendata, quanto plus discentium commoda juvare possunt plerorumque simul addita elogia, habita non minus quoque ratione temporum.

Seorsim tum eorum qui reliquis Europæis linguis sua tradiderunt, tum Chemicorum, Mulomedicinæ, aliorumque scriptorum proprios indices pollicitus est idem Joannes Georgius Schenckius & *præfat. ad lector.* & in *Bibliotheca* ipsa. Sed quorum omnium nullus prodiit. Postea *Bibliothecam Chimicam* collegit Petrus Borellus. Simul tamen omnibus illis annumeraris, qui de lapidibus & metallicis quocunque modo, etiam non chemice, scripserunt. Inprimis etiam laudari heic debet Renati Moreau viri doctissimi Διάλεξις *de mißione sanginis in pleuritide*, qua præcipuorum Medicorum omnis ævi, Græcorum, Arabum, Barbarorum, Latinorum, non duntaxat sententiæ de ea referuntur, sed simul omnium juxta temporum quibus floruere seriem exacta enumeratio instituitur: propter ea quoque Vanderlindio frequenter in testimonium adducta.

PORRO de Medicis secundum ætates egit Wolfgangus Justus in *Chronologia omnium illustrium Medicorum.* Quam subinde laudat Vanderlindius, Schenckio tamen ignoratam fuisse miror. De recentioribus seorsim quædam notavit Raphaël Volaterranus *lib. XXI. Antropologiæ.* De præcipuis autem Medicinæ scriptoribus, jam inde à prima ejus origine ad superius usque Christianum sæculum, accurate disseritur in Conringii nostri *Introduct. cap. III.*

Raph. sub. fin.

VITAS insuper insignium Medicorum nonnulli descripserunt. Quod superiori sæculo primus aggressus est Symphorianus Campegius, *de claris Medicinæ scriptoribus, veteribus ac recentioribus*, edito libro. Quem mox excepit Remaclus Fuchsius, *illustrium Medicorum vitis*, addito Symphoriani quorundam neotericorum Medicorum catalogo, vulgatis. Casparis porro Peuceri viri longe doctissimi *vitas illustrium Medicorum*, sed absque ejus nomine, prodiisse, sibi licet usque dum non visas, scribit in *vita* Melchior Adamus. Ejusdem operis meminit quoque Schenckius in *Bibliotheca*, sed itidem ut sibi non visi. In eodem argumento porro laboravit etiam Petrus Castellanus, editis *Vitis illustrium Medicorum, qui toto orbe ad hæc usque tempora floruerunt.* In quibus tamen multorum præstantium, superioris præsertim sæculi, Medicorum vitas haud immerito desideres. Sunt autem omnes omnino, de quibus in eo opere agitur; CLXXX, quorum indicem exhibet Vanderlindius. Non multo post Joannes Neander evulgavit suum *Syntagma, in quo* præter alia *cum Medicinæ natalitia tum restauratores & propagatores cum historiis eorum vitis ac scriptis depinguntur.* Sed *quem aliorum fere semper scripta, nullo judicio, nullaque ratione habita temporum, expilare, absurdaque sæpissime, atque sibi ex adverso pugnantia,* in

Mel. in vit. Medic. pag. 390.

in medium adducere atque pronunciare; item aliorum πάρεργα *tacito nomine non tam exscribere quam corrumpere*: notat in *Galeni chronologico elogio* Philippus Labbeus. Omnium Lab. p.46. & 13.
fusissime hanc rem tractavit Joannes Henricus Meibomius vir clarissimus, conscripto magno opere *de vitis Medicorum*, quod orbis eruditus avide exspectat. Similiter *priscorum Medicorum Vitas* pollicitus est Ægidius Menagius, is itidem variæ eruditionis nomine hodie inter primos celebris. Sed & πολυμαθέστατον Reinesium inter alia *Historiæ* quoque *Medicorum* excudendæ typographum quæsivisse discimus ex ejus *epistolis ad Hofmannum & Rupertum*. p. 579.

PORRO *Epitaphia & Epicedia illustrium Medicorum* ex bibliotheca paterna in lucem retulit Joannes Georgius Schenckius. *Icones* autem *seu vivas imagines Medicorum & Philosophorum, veterum & recentium*, collectas edidit Joannes Sambucus. Schenckius etiam vulgavit *Iconum illustrium Medicorum centuriam*. Qui uterque liber imaginum & Sambucianus & Schenckianus propterea quoque sæpe laudatur in *Bibliotheca Medica* Schenckii. Imagines etiam quædam additæ sunt Spachii *Nomenclatori* Argentinensis editionis, Vanderlindio referente.

De reliquis scriptoribus, qui huc insuper pertinerent, nunc non faciam mentionem, suo loco illis reservatis.

CAPUT IX.

Qui de Philosophis eorumque scriptis generatim commentati sunt significantur.

PErgendum jam est ad illos, qui de Philosophis eorumque scriptis commentarios confecerunt. Ubi principio rursus in memoriam revocandi sunt, quos ad primam & secundam classem jam commendavi, quosque proinde non opus est heic denuo laudare.

PROPRIE autem hoc etiam in argumento fuerunt occupati non uni. Quos inter è priscis potissimum locum heic inveniunt tum Diogenis Laërtii *Vitæ* tum Suidæ *collectanea*, utpote in quibus plerorumque antiquorum Philosophorum non nomina duntaxat ac vitæ sed scripta quoque diligenter enumerari solent. Quorum tanto majorem copiam insuper suppeditat, quanto recentior est quantoque plures post accesserunt Philosophiæ addicti, *Bibliotheca* Gesneri, quique suis augmentis eam locupletaverunt. Inprimis autem hoc in genere operam suam orbi commendare annisus est Joannes Jacobus Frisius, edita *Bibliotheca Philosophorum classicorum auctorum chronologica, ab origine mundi usque ad suam ætatem*, supra jam memorata. Sexennio post, anno videlicet superioris sæculi duodecentesimo, Israel etiam Spachius paullo ante laudatus eandem cognitionem adjuvit, *nomenclatore scriptorum Philosophorum & Philologicorum* Argentinæ vulgato.

pag. 16 & 27.

Nec minus huc pertinet *Index* geminus, alter *auctorum, qui suis laboribus ac lucubrationibus Aristotelis libros ac Philosophiam conati sunt illustrare*; alter *quo declaratur, quid sit à quoque ex interpretibus in singulas Aristotelicæ Philosophiæ partes scriptum*: collectus à Paschali Gallo è *Bibliotheca Gesneri*, ac subjunctus editioni *operum Aristotelis Casaubonianæ alteri*. Similiter ante aliquot annos *syllabum Interpretum Platonis atque Aristotelis* edidit Philippus Labbeus, sæpius jam itidem laudatus. Tametsi enim indices hi ad Aristotelis vel Platonis libros ac doctrinam peculiariter duntaxat spectant: tamen ob amplitudinem suam heic omnino locari merentur, præsertim quum utriusque Philosophia præcipue eminuerit; Aristotelica vero etiam per complura sæcula passim sola obtinuerit, ejusque ductum pleræque omnes sapientum scholæ observaverint.

SE-

SEQVUNTUR jam illi, qui vitas Philosophorum descripserunt. Qui rursus in duplici sunt differentia. Alii quippe non nisi unius cujusdam, alii complurium vitæ cursum litteris mandaverunt. E quibus illi nunc non sunt attendendi, ad singulorum specialem considerationem spectantes: his huc unice pertinentibus.

In iis igitur omnibus, quorum quidem commentarii ex prisco ævo superstites adhuc habentur, præcipuus est Diogenes Laërtius. Cujus *de vita placitis & apophthegmatibus eorum qui in philosophia claruerunt* libri nemini non noti sunt: à diversis etiam Latine translati, illustrati, editi. Et editiones quidem ac versiones singulas non opus est heic enumerare, postea quam id fecit doctissimus Menagius Menag. sub initium *observationum* suarum in illud opus. Inter pag. 2. c. 1. D. omnes autem hactenus potissimum in manibus fuit Henrici Stephani altera quæque inde repetita est editio: donec non adeo pridem, anno videlicet sexagesimo quarto, Londinensis prodiret. Qua simul junctim exhibentur plerorumque, qui dedita opera sive emendando sive illustrando lucem libris illis attulerunt, partim antehac partim tunc primum vulgatæ commentationes. Henrici videlicet Stephani, Isaaci Casauboni, Thomæ Aldobrandini, Merici Casauboni, *annotationes* & *notæ*: additis uberrimis Ægidii Menagii *observationibus*. Ita ut quod in ipso Diogene docti desiderant, præclarorum illorum virorum diligentia & accuratione sit restitutum. Præter quos *analysin & selecta publicarum prælectionum* in libros illos Diogenis, cum *accuratissimo indice omnium scriptorum, qui in eo opere citantur*, promisit etiam *catalogo scriptorum* suorum jam absolutorum, quem *rerum Hamburgensium libro secundo* subnexuit, Petrus Lambecius.

Proximus Diogeni est Philostratus, qui *vitas sophistarum*

rum ad sua usque tempora duobus libris descripsit, hodie quamquam rarioribus inventu. Post quem Eunapius *vitas Philosophorum & Sophistarum* uno libro fuit complexus. Qui Græce primum prodiit è bibliotheca Joannis Sambuci, Latine dein versus ab Hadriano Junio, & demum adjunctus Diogenis operi, anno hujus sæculi sextodecimo Coloniæ Allobrogum recuso. Cui eidem Diogenis operi insertus etiam est liber sive (ut Suidas vocat) ὀνοματολόγος aut tabula *eruditione clarorum virorum*, Hesychii Milesii, cognomine sive potius epitheto dicti Illustris, non Illustrii. Quod similibus exemplis adductis erudite probat Jonsius
Ions p.307 *lib. 3. de scriptor. histor. Philos. c.19*, & ante eum Barthius
Bart. col. 1307. *lib.27 adversatior.commentar.c.19*, quamquam Illustrium & antea & deinceps fortassis ex consuetudine nihilominus eum appellans; & ante utrumque observavit Meursius, ea propter etiam utrique laudatus. Quem librum Græce primum itidem è bibliotheca Sambuci Plantiniana officina Antwerpiæ dedit; Latine vero interpretatus est etiam Hadrianus Junius; notis demum illustraverunt idem Junius, Henricus Stephanus, Joannes Meursius. Quamvis in se spectatus non sit adeo magni momenti liber. Porro in Suidæ quoque *collectaneis* plurima habentur de vitis tum aliorum doctorum virorum tum Philosophorum. Quæque non tam existimaverim ex XI illis lexicographis, è quibus opus illud esse congestum in ejus frontispicio legitur, quam ex aliis historicis esse excerpta. Id quod Gesnero quoque in *Bibliotheca* fuit visum, ne nunc alios memorem.

Reliquorum hujus argumenti priscorum scriptorum, quorum ingens est numerus, quorumque non nisi nomina vel fragmenta quædam hinc inde leguntur, quorum item
pag. 25 & 26. paucos aliquot exempli duntaxat gratia jam supra nominavi, ut nunc itidem rationem habeam, non est necessum,
quod

quod id maxime præstiterit Vossius in gemino *de Historicis* opere, & post eum Joannes Jonsius libris *de scriptoribus historiæ Philosophicæ* unice huic argumento dicatis, ante decennium Francofurti publicatus: uterque jam dudum eo nomine quoque commendatus. ibid.

Similiter nec alios, qui recentioribus adeoque superiori ac nostro hoc sæculo in eodem genere illustrando laboraverunt, scriptores memorabo, quum id jam tum fecerit idem Jonsius *lib. 3 cap. 20*: simul tamen annumeratis tum illis, qui vel unius duntaxat Philosophi aut sectæ historiam descripserunt; tum qui de aliis etiam historicis, item rhetoribus ac poëtis egerunt. Est autem opus illud ea quoque de caussa merito carum, quod statim ab ejus editione absoluta, veluti supremo monumento relicto, immatura mors Jonsium occupaverit: magna cum reipublicæ litterariæ jactura, & omnis ulterioris fructus, qui sat uber à præclaro isthoc ingenio proficisci potuisset, spe penitus intercepta.

Qui præterea supersunt, infimi præsertim ævi Philosophorum historiam tradentes, in classium sequentium recensione exhibebuntur.

CAPUT X.

Qui speciatim vel singularum vel quarundam artium & scientiarum ratione habita idem egerunt, enumerantur.

NOn duntaxat autem istis modis universe quæ ad Philosophos eorumque notitiam parandam pertinent litteris sunt mandata: sed à nonnullis quoque in singulas vel aliquas scientias seorsim eadem opera fuit impensa. Qui rursus duûm sunt generum. Alii videlicet doctrinas ipsas, non solum juxta præcipua & summa sed minutiora quoque capita, observando id egerunt: aliis generatim tantum,

quo & ad quam ſcientiam quisque pertineret, annotantibus & advertentibus.

Prius primus & ſolus præſtitit, ille univerſæ hujus ἐμπειρίας princeps magiſter Geſnerus, ſingulis diſciplinis ſingulos *Pandectarum ſive Partitionum univerſalium* libros tribuendo: idque pro more ſuo tanta diligentia, ut illos etiam qui de minutiſſimis cujusque capitis partibus ſcripſerunt indicaverit. Perinde ut in aliis quoque ſcientiis ab ipſo factum eſt, eo nomine jam tum ſupra laudatus.
pag. 29. Cui propter amplitudinem ſuam addi poteſt *alter Index commentatorum in Ariſtotelis opera* Paſchalis Galli, paullo ante memoratus.

IN poſteriori genere plures laboraverunt. Et ſeorſim quidem de LOGICIS antiquis & in Ariſtotelis opera commentatoribus egit ſæpius jam laudatus Gerardus Joannes Voſſius libro *de Logices natura & conſtitutione.*

De PHYSICIS & optimis præſertim naturalis ſcientiæ autoribus, quodque potiſſimum operæ pretium quique fecerint vel minus, accurate diſputavit πολυμαθέστατος Conringius noſter *Introductionis in Naturalem philoſophiam capite II.* Speciatim de illis ſcriptoribus, qui peculiariter ea tractaverunt, quæ vel ad naturalem ſcientiam vel medicinam ſpectantia in ſacris ſcripturis leguntur, ipſemet egi *programmate ad ſacræ phyſicæ & medicinæ ſtudioſos*: complures additurus, ubi altera ejus editio una cum ipſomet ejus argumenti opere prodibit.

De ETHICIS ac præcipuis doctrinæ moralis cultoribus fuſe ac facunde diſſeruit in *Bibliographia Morali* Henricus Julius Scheurlius, vir clariſſimus: ita ut liber is ad eam ſcriptorum claſſem referendus ſit, qui elogia doctorum virorum confecerunt. Eosdem, prout diverſis ſectis addicti ac propterea diverſas opiniones amplexi fuerunt,

runt, in unam summam collectos exhibet clarissimus quondam collega meus Samuel Rachelius *Introduct. in philosophiam moralem Aristotelis cap. VI.* perinde ut præcipuos in Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum libros commentatores *cap. XIV.* Neque vero, quod postremos hosce Aristotelicos commentatores in universali hac παιδεία commendem, quispiam fortassis amplius mirabitur, perpensis illis, quæ præcedenti capite in hanc rem jam tum sunt notata. Oeconomicos Scriptores diligenter enumerat Gesnerus, *partitionum universalium libro XVII.* peculiariter iis dicato. Cujus manuductione nunc lector esto contentus: quamquam non pauci post ejus ævum in eodem argumento occupati accesserint. pag. 48 in fine.

Porro POLITICORUM doctorum optimam accuratissimamque cognitionem debemus viro πολιτικωτάτῳ Hermanno Conringio nostro. Quos inter primum laudari meretur Christophori Coleri *de studio politico* elegans epistola. Quem in eo genere deinceps excepit Gabriel Naudæus vir πολυμαθέστατος, conscripta *Bibliographia Politica.* Quæ utraque præclaris studiis istis juvandis accommodatior jam est, posteaquam eas una cum Gasparis Scioppii *Pædia Politices* multum emendatiores edidit cura Conringii. Ipsemet autem vir amplissimus quæ hujus sunt argumenti non uno loco tractavit. Et quidem de Politicis antiquis, comparatione inter ipsos instituta, præclare disseruit *epist. dedicat. in Aristotelis Politicorum novam editionem.* Sicut de omnibus iis, qui opus illud Latine sive verterunt sive illustraverunt, *cap. IX Introduct. in Politica Aristotelis.* Porro de Politicæ scientiæ optimis per omnem ætatem scriptoribus *cap. XV. Propoliticorum.* De omnibus demum, qui vel ex professo Politica tradiderunt vel alias ad civilem philosophiam parandam faciunt, quorum

quidem ſcripta Latine leguntur, *lib. de Civili prudentia cap. XIV.*

Poſt quæ omnia nuper admodum *Judicia de noviſſimis prudentiæ civilis ſcriptoribus* ſub nomine Sarckmaſii vulgata ſunt, novo & ſatyrico modo pronunciata. Quæ ut ſcriptoris ſui nonnullam & ingenii & Latine ſcribendi facultatem oſtendunt: ita ſimul manifeſto produnt, eum è clariſſimorum virorum inſultatione gloriam captare; in cenſura vero, qua tamen nimiopere ſibi placet, ipſummet animadverſionem quam maxime commereri. Nam & licentia audacter ſibi ſumta mores atque actiones eorum, quos in ſatyra iſthac traducit, pro libidine ac quaſi arcanarum animi deliberationum conſcius eſſet notat; quod tamen ad rem ipſam nihil pertinet: & apolline uſus eſt corrupto: & præter alios errores hiſtorica, moralia, Judicia, cum politicis ſcriptis confundit.

Nec minus in MATHEMATICIS celebrandis operam nonnulli impenderunt. Ubi ex antiquis primus nunc laudandum ſeſe offert Theophraſtus Ereſius, quem *Hiſtoricorum Geometricorum, de Muſicis, Aſtrologicæ hiſtoriæ, Arithmeticarum hiſtoriarum*, libros aliquot ſcripſiſſe catalogus à Diogene Laërtio confectus docet: libris ipſis dudum deperditis. Similiter æqualis ejus Eudemus Rhodius *Aſtrologicas* & *Geometricas hiſtorias* compoſuit, ſed quæ temporum injuria itidem interciderunt, niſi quod earum memoria cum exiguis quibusdam fragmentis in aliorum monumentis ſuperſint, quorum loca notaverunt Voſſius *l. 3 de hiſtor. Græc.* & Jonſius *l. 1 de ſcriptor. hiſtor. philoſ. c. 15.* Reliquorum qui quondam idem tractaverunt non eſt quod peculiaris mentio fiat, quum ex illis eorum notitia facile poſſit peti.

Voſſ. pag. 365 edit. alt. Ionſ. p. 79. & 80.

Inter infimi ævi adeoque ſuperioris ſæculi ſcriptores An-

Andreas Stiborius edidit libellum *de autoribus mathematices.* Post nostro sæculo Josephus Blancanus scripsit *Mathematicorum chronologiam*, sed quem non raro erroris arguit Gerardus Joannes Vossius & Joannes Baptista Ricciolus. Qui ipsemet Ricciolus *Almagesto* suo *novo* præmisit *chronicon duplex*, *astronomorum vel astrologorum, cosmographorum aut polyhistorum, qui astronomica vel cosmographica proprius attigerunt.* Cujus prior pars, ordine temporum constructa, plane succincte scriptores illos enumerat, jam sub initium hujus tractationis commendata. Posterior autem, ordine alphabetico & ampliori eruditione digesta, vitam singulorum & quid quisque præstiterit tradit. Nisi quod atro carbone in ea notentur, qui curiæ Romanæ studia laboresque suos non probaverunt. Id quod tum passim alias tum quam maxime videre est, ubi *Josephus Scaliger*, *Michaël Mœstlinus*, *Tycho Brahe* memorantur. Non duntaxat autem chronico isthoc utroque bene meritus est de scriptorum istorum cognitione Ricciolus: sed insuper quoque in ipsomet Almagesti opere omnibusque ejus voluminibus permagnam à bonarum doctrinarum amantibus inivit gratiam, singulis capitibus plerorumque omnium scriptorum, qui rem de qua disputaturus est tractaverunt, quamcunque item sententiam foverint atque defenderint, prolixos summeque utiles indices numquam non præmittendo. Ita ut longe plurimorum scriptorum, non ad Astronomiam duntaxat & Cosmographiam sed Naturalem quoque philosophiam spectantium, insignis notitia possit inde acquiri. De Mathematicis demum omnis ævi celebrioribus quibusque, & seorsim quidem juxta singula eorum genera, diligentissime egit Gerardus Vossius, vir aliis etiam multis nominibus præclarissime de re publica litteraria meritus, libris *de universæ Mathesios*

Pag. 4.

natura & constitutione, ac subjuncta *Chronologia Mathematicorum*.

Speciatim de Chronologis antiquis differit Wowerius *l. de polymathia cap. XII*, & de præcipuis Vossius *l. de philologia c. XII*, sicut de omnibus tum in gemino opere *de Historicis* tum modo laudato *de Mathesi*.

Similiter Geographos sive historiæ locorum scriptores antiquos laudat idem Wowerius *cap. XIII*, Vossius autem strictim quidem *l. de philol. cap. XI.* de omnibus autem diffuse in alteris illis operibus agit. Quemadmodum particulatim onomasticorum Geographicorum scriptores recenset Abrahamus Ortelius *epist. ad lector. Thesaurum* sive lexicon suum *Geographicum*.

Scilicet utriusque hujus postremi ordinis scriptores ita sese habent, ut partim ad mathematicos partim ad historicos peculiariter dictos pertineant: & nunc quidem magis ad illos, nunc ad istos, pro diversa operum suorum tractatione. Ideoque nemini mirum videri debet, si ad diversa genera referuntur, quorum ipsamet natura facit eos utriusque generis participes.

CAPUT XI.

In Historicorum cognitionem qui manuducunt nominantur.

HIs igitur non incommode jam subjungere possumus, qui Historicorum peculiariter ita dictorum ætates, vitas, quæque præterea ad eos pertinent, litterarum monumentis mandaverunt. Ubi *primo* statim loco sese offerunt, qui chronologi vulgo appellari solent; sive strictim sive fuse illud ipsum egerint; tantummodo Historicorum mentionem fecerint. Hi videlicet soli ex eorum classe huc spectant. Nam alias tempora definire & ordinare, ad chro-

chronologi officium cumprimis pertinet. Id quod tamen citra annotationem doctorum virorum omnino fieri poteſt: quamvis ſine temporum certa ratione ac digeſtione, ut alias omnis hiſtoria, ita quoque doctrina illuſtrium virorum ætates non poſſint certo conſtitui. Quotquot igitur ex chronologorum illorum ſive (ſi ita malis appellare) univerſalis hiſtoriæ ſcriptorum ordine huc pertinent, illi hactenus ad hiſtoricorum quoque annotatores ſunt referendi. Quorum præcipuos quum principio ſtatim hujus inſtitutionis indicaverim, non opus eſt nunc rurſus iis immorari. *Deinde* qui ſine temporum ratione habita, univerſales tamen ſcriptorum indices confecerunt, illos huc itidem pertinere, ſimiliter è ſuperioribus eſt manifeſtum. *Porro* ad hanc eandem claſſem non minus etiam pertinent, qui promiſcue, nulla diſcriminis cujuspiam habita ratione, doctorum virorum memoriæ conſervandæ ſtuduerunt, quosque in ſextam claſſem relatos *quinto capite* recenſui.

PRÆTER hos omnes autem de ipſismet Hiſtoricis cujuscunque generis, qui ſive rerumpublicarum ſive regum ac principum ſive doctorum virorum res geſtas ac vitas ſive alios caſus & eventa deſcripſerunt, ſpeciatim nonnulli libros confecerunt, quorum commendationi proinde quoque hic locus proprie nunc eſt dicatus. Talis igitur eſt Theodori Zvingeri *de Hiſtoria* libellus, additus poſtea Chriſtophori Mylæi *libris V. de ſcribenda univerſitatis rerum hiſtoria*, quo plerique hiſtorici in varias claſſes diviſi indicantur. Multo fuſius id egit vir multis nominibus præclare meritus David Chytræus *ſerie Hiſtoricorum*, quæ continetur in prolixa illa diſſertatione *de lectione hiſtoriarum recte inſtituenda*, quam præmiſit *chronologiæ hiſtoriæ Herodoti & Thucydidis*, quæque integra diſſertatio à pagina

Chytr. à pag. 29 usque ad pag. 115 edit. anno 1579.

1 ad 225 deinceps adjuncta est iisdem Mylæi libris, seorsim quoque edita cum *Ratione docendi disciplinas.* Præcipuos etiam Historicos, veteres præsertim, breviter commendat Justus Lipsius *centur. 1 miscellan. epistola LXI*, qua de historiarum variis speciebus ac lectione disserit, ob utilitatem suam seorsim quoque impressa. Quod non minus etiam præstitit *l. de philologia c. 14, §. 15*, Vossius. Idem porro fecit, gentium quarum res eorum quisque descripsit rationem maxime habendo, Michael Routartius *Oculi historiæ cap. VII, IX & sequentibus.* Talis etiam est Johannis Micrælii *catalogus historicorum, unde constat, quinam de quo scripserint*: subjunctus ejusdem *syntagmati historiarum mundi*, tertia editione ad annum Christi 1654 continuato. Nec adeo pridem catalogi nundinarii memoraverunt Christophori Hendreichii *mercurium historicum*, monstrantem autores, qui lingua Hebræa, Græca, Latina, Teutonica, Slavonica, aliis, omnigenam historiarum materiem tractarunt.

PORRO commendandi sunt *Historici, Chronologi, & Geographi celebres*, collecti tribusque partibus exhibiti studio Martini Zeilleri. Quæ collectanea præter nomina simul quid quisque scripserit singillatim indicant. Addita sunt insuper sæpe de scriptoribus elogia & judicia, quamquam ex aliis & præsertim Vossio depromta.

NEC DESUNT qui peculiariter ἐπίκρισιν de nonnullis Historicis instituerunt. Quo refero *breve judicium de Historiis antiquis, Latinis & Græcis*, Onuphrii Panvinii, quod in *indice operum* ejus inter libros absolutos sed in lucem non emissos nominatur. Fortassis autem legendum *Historicis*. Nescio an hujus etiam vel alterius generis sit Benjamini Prioli *Judicium de scriptoribus Græcis & Latinis*, inter alia brevi edenda promissum indiculo, qui *ab excessu*

Ludo-

Ludovici XIII de rebus Gallicis historiarum libris est subjunctus. Aliorum, quorum censuræ de historicis dudum vulgatæ sunt, mox mentio fiet.

OMNIUM vero non operosissime duntaxat sed etiam accuratissime universum hoc argumentum pertractavit ob magna in publicam rem litterariam merita sæpius jam laudatus Gerardus Joannes Vossius, primum *de Historicis Græcis quatuor*, & dein *de Historicis Latinis tres libros* summa diligentia atque labore conscribendo: altera præsertim editione plurimis additamentis magis locupletatos. Quorum priori isthoc opere motus eximium illud Germanicæ nobilitatis decus Bernardus à Mallinckrot *paralipomenon de Historicis Græcis centurias quinque* congessit, una cum ejusdem *de summo bono* dissertatione Coloniæ Agrippinæ publicatas. Mall. p. 57. Excusat autem, quod aliquot auctores in istis centuriis suis nomen suum profiteantur, quos in posteriori editione G.J. Vossii reperiri notitiam suam effugerat. Commemoratque præterea, sese jam tum ante biennium ad prælum paratas habuisse *annotationes ad Historicos Græcos à Gerardo Joanne Vossio recensitos*. in fine paralipom. Sed quæ hactenus, quod sciam, non sunt editæ.

SEORSIM circa Romanarum rerum scriptores quidam fuerunt occupati. Quo pertinet Petri Angelii Bargæi, *quo ordine scriptorum historiæ Romanæ monimenta legenda sint*, libellus. Cui plane suppar est Caroli Sigonii *Ordo Historiæ Romanæ, ut à quoque scriptore per temporum seriem petenda est*. Diffusius adhuc utroque & accuratius est, quamquam ad Germanicarum gentium historiam præcipue spectans, Marquardi Freheri *directorium in omnes fere chronologos, annalium scriptores & historicos, potissimum Romani Germanicique Imperii*.

Idem Sigonius porro scripsit *Judicium de Historicis, qui*

res Romanas ſcripſerunt, ab Urbe condita, ad Caroli M. Imperatoris tempora. Cui poſt acceſſerunt Balthaſaris Bonifacii *excerpta de XL Romanæ hiſtoriæ ſcriptorum vitis.* Quibus accenſendus eſt Martini Hankii *de Romanarum rerum ſcriptoribus* liber nuperrime vulgatus, in quo eorum vitæ, ſcripta, horum editiones, aliorumque de iis judicia breviter exhibentur.

Eorundem hiſtoricorum libris vel emendandis, vel alias illuſtrandis, vel in aliam linguam transferendis, vel edendis, non pauci itidem operam tribuerunt. Et multi quidem hujus duntaxat illiusve, nonnulli vero complurium ſimul. Quorum illi potius ubi de ſingulis quibus ſtudium impenderunt agitur commemorandi ſunt. Ex his autem jam laudari debent *ſcholia ſeu dilucidationes in Latinos plerosque hiſtoriæ Romanæ ſcriptores* Marcelli Donati, viri *de Medica hiſtoria mirabili* libris alias clariſſimi, pridem ab eo promiſſæ, ſed hujus ſæculi anno quinquageſimo ſexto demum Veronæ impreſſæ. Seorſim in *Hiſtoriæ Auguſtæ* (qui vocantur) ſcriptoribus emendandis poſt Joannem Baptiſtam Egnatium plurimum laboraverunt Iſaacus Caſaubonus & Claudius Salmaſius viri ſummi.

SPECIATIM præterea heic quoque mentio facienda eſt Mythologicorum ſcriptorum. Tametſi enim vulgo ſub reliquis hiſtoricis fabuloſæ quoque hiſtoriæ ſcriptores contineri ſolent: tamen accuratius rem perpendenti facile apparet, iis peculiarem locum potius deberi: præſertim quum perquam diſpar eorum ſit ratio, nec omnes id argumentum eodem modo tractaverint. Eſt autem iſthæc opera jam tum à me ſuſcepta, præcipuis eorum ſcriptorum commemoratis, *lib. de origine fabularum gentilium cap. III & IV.*

PRIUSQUAM ab Hiſtoricis eorumque memoratoribus

bus discedam, adhuc aliquid addi debet de iis qui illustrium familiarum Genealogiarum descriptores seorsim (alias enim sub historicis comprehendi solent) indicaverunt. Etiam hæc notitia quippe juxta cum Chronologia & Geographia ad historias rectius intelligendas quam maxime requiritur, estque alias quoque non minus insignis nec unius utilitatis. Qua de caussa quoque jam olim tum ex Græcis tum Latinis nonnulli huic argumento peculiarem operam impenderunt, à Gerardo Joanne Vossio *lib. de Philologia cap. XIII.* commemorati. Post superiori nostroque hoc sæculo idem à multis doctis viris magno studio atque diligentia est actum. Quorum alii priscarum dudumque exstinctarum, alii hodienum florentium, alii Europæarum, alii externarum, familiarum origines atque propagationes in ordinem digestas in tabulis exhibuerunt. Id quod primus ferme præclare præstitit Reinerus Reineccius, insigne quondam Academiæ hujus Juliæ decus, tum alias tum peculiariter in *Historia Julia*: ob præstantiam juxta cum Ubbone Emmio, viro itidem clarissimo, qui in opere *chronologico* idem fecit, aliisque quibusdam à Vossio diserte commendatus. Jam ante vero *Genealogiam insignium Europæ Imperatorum, Regum, Principum, à Gothis deductam*, Regiomonti in Borussia anno superioris sæculi post sexagesimum tertio vulgavit Heilrichus Zeellius Agrippinas, Alberti senioris Borussorum Ducis Bibliothecarius. Paullo post Reineccium Hieronymus Henninges edidit vastum opus *Theatri Genealogici*. Similiter circa idem tempus suas *Genealogias* Elias Reusnerus. Inde in hac Academia *tabulas Genealogicas* confecit Rudolphus Diepholdius, vir doctissimus, ab Henrico Sannemanno post editas. In eodem argumento multum quoque laboravit, complurium familiarum prosapia illustrata, Leonhardus

Wurfbainius, itidem *tabulis Genealogicis* publicatis. Porro decennio abhinc prodierunt *tabulæ progonologicæ* Philippi Jacobi Speneri, quibus plurimorum Regum, Principum, Comitum, Dominorum, progenitores XXXII exhibentur. Nec minus laudari debet ſtudium, quod raro inter ſui ordinis homines exemplo ad hanc rem adhibuit in *Germania Topo-Chrono-Stemmato-graphica* Gabriel Bucelinus. Editæ quoque ſunt Tybingæ inſignes *Tabulæ Genealogicæ Principum Imperii*, ſed absque nomine collectoris. Ibidem tertium vulgatæ ſunt Nicolai Rittershuſii viri clariſſimi *Genealogiæ Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum, præcipuorumque aliorum procerum orbis Chriſtiani*, ab anno M CCCC uſque ad annum M DC LXIV deductæ addito poſt quadriennium aliarum tabularum auctario. Quæ tanto magis commendari merentur, quanto multis aliis, accuratiores ſunt, quantoque plurium Principalium & illuſtrium familiarum, quæ hodieque ſuperſtites ſunt ac florent, progeniem proponunt.

Mitto nunc alios adducere, qui vel itidem dedita opera id egerunt vel alias per occaſionem ſcriptis ſuis ejusmodi generis recenſiones inſeruerunt. Sicuti nec illud nunc opus eſt ſingulatim oſtendere, quodnam operæ pretium quilibet eorum quos nominavi fecerit: quodque alii externas, alii patrias perſecuti ſint: quod item alii priſcas ſolum, alii recentiores: quod porro alii paucarum vel minus illuſtrium, alii plurium clariſſimarumque familiarum rationem habuerint: quod etiam alii integras, alii partem duntaxat earum tradiderint: quod inſuper in ipſamet enarratione non eundem modum omnes obſervaverint, ſed alii adſcendendo, alii deſcendendo proceſſerint: quod denique alii à fabuloſis uſque vel ſaltem penitus incertis, alii à veris demum & de quibus certo conſtat originibus

nibus eas deduxerint, Scilicet quo majoris utilitatis ſunt quæcunque genealogiæ, eo pluris quoque merito fiunt: & quæ fide dignis è monumentis ſunt depromtæ, ſolæ quoque veram laudem merentur. Nihil enim attinet, per fabulas iis celebritatem venari, quorum majorumque res præclare geſtæ per regiones, per regna, perque orbem terrarum nomen ac genus eorum commendant. Sufficit nunc in eorum, quos Voſſius laudavit, complementum præcipuos indicaviſſe.

PER Hiſtoricos autem quinam intelligantur, neminem latet. Obtinuit videlicet vulgari loquendi uſu, Hiſtoriæ nomine peculiariter non niſi rerum geſtarum narrationem denotare. Ut proinde ad civiles & morales duntaxat res Hiſtorici potiſſimum pertineant. At naturalium, medicarum, quæque ad alias artes atque ſcientias ſpectant hiſtoriarum ſive obſervationum ſcriptores, ſub hiſce non continentur, ſuo propterea loco quærendi.

CAPUT XII.

Qui de Oratoribus commentati ſunt memorantur.

AB iis quibus Hiſtoricorum notitiam debemus pergo jam ad eos, qui de Oratoribus, eosque utriusque generis ſive docuerint ſive fecerint eam artem ſimul comprehendendo, egerunt. Ubi ſtatim *primum* illud & ante omnia monendum venit, de iis admodum pauca reperiri ſeorſim annotata; ſed plurima huc ſpectantia hinc inde exſtare tum in univerſalibus indicibus, tum in ſcriptorum vitis, tum etiam in eorum commentariis, qui ſive ſuæ gentis ſive certi alicujus ordinis ſcriptores memoraverunt: non pauca quoque apud eos reperiri, qui reliquarum diſciplinarum ad eosque pertinentium ſcriptorum peculiarem rationem

habuerunt. *Deinde* probe quoque notandum eſt, Artis Oratoriæ alium olim fuiſſe uſum atque hodie eſt; ceu mox clarius patebit. Accedit *tertio*, quod poſt introductam religionem Chriſtianam duplex ſit Oratorum genus ortum. Quorum alii circa illa fuerunt verſati quæ ad res ſæculares, ceu vulgo, ſive ad externas, ceu priſci Chriſtiani ſcriptores appellant, ſpectant: alii vero ſacra argumenta tractaverunt. E quibus hi ad Eccleſiaſticos ſcriptores pertinent, quorumque proinde paſſim fit mentio in omnibus iis commentariis, quos ſupra in Theologorum notitia commendavi. Alterius vero iſtius generis Oratores in omnibus ferme reliquorum ſcriptorum catalogis memorantur: ita tamen, ut poſt litterarum ſtudium in Occidente reſtitutum ad ſcriptores Philologicos & Hiſtoricos illud ipſum præcipue ſolitum ſit referri; ceu palam eſt ſcriptores, qui idem hoc quod nunc agito argumentum jam à fine ſæculi quinti decimi quomodocunque tractaverunt, inſpicienti.

Quandoquidem vero in republica Athenienſi atque Romana quam maxime Ars Oratoria exercita fuit, ita ut alias reſpublicas non liceat invenire, in quibus æque illa valuerit; præterea quoniam Oratores in illis duabus rebuſpublicis celeberrimis illud genus quam maxime uſurpaverunt, quod in aliis itidem vix licet obſervare, quod videlicet magnam partem orationes eorum in publicis etiam judiciis locum obtinuerint, & inſuper ad populum perſvadendum eas illi habuerint: ea propter etiam gentis utriusque tanquam præ aliis quondam cultiſſimæ, (ſacram atque ab ipſomet Deo optimo maximo inſtitutam Iſraëlitarum rem publicam ſemper excipio,) celebres oratores poſteris per litterarum monumenta ſunt commendati. Et quidem præcipuorum Græcorum, potiſſimum vero Romanorum Oratorum elogia deſcripſit Marcus Tullius in *Bruto*;

Bruto; quo Græcos hoc in genere præstantissimos primum laudat tanquam illos, quos Romani sui primum fuerint imitati, de quibus post prolixius disserit. Ita vero liber ille est compositus, ut partim ad elogiorum scriptores partim ad criticos pertineat. Conscripsit in eum *commentarium* Sebastianus Corradus, ante centum & plures annos Florentiæ excusum. Huc etiam referri debet, qvamvis longe strictius id egerit, sive Taciti sive Quintiliani sive alterius cujusdam *dialogus de claris Oratoribus*. Eodem porro magnam partem pertinent *Vitæ parallelæ* Plutarchi. Qui seorsim *decem* clarissimorum Atheniensium *Oratorum vitas* descripsit, itidem hodieque superstites. Sunt autem illi ipsi, in quorum orationes *Lexicon* confecit Harpocration, à Philippo Jacobo Maussaco eleganter editum & illustratum. De Dionysio Halicarnassensi, Quintiliano, aliisque, qui de dictione tum oratorum tum aliorum censuram instituerunt, altero abhinc capite agetur.

De Rhetoribus, prout illi ab Oratoribus distinguuntur, perpauca seorsim habentur. Nisi quod è prisco ævo exstet Svetonii Tranquilli *de claris Rhetoribus* perexiguus libellus, quo de eorum fortuna docendique diversa ratione ut & quorundam qui Romæ celebres fuerunt vitis egit. Unice igitur heic commendatus est toties jam laudatus Gerardus Joannes Vossius, qui ut plerasque alias ita hanc quoque præclaræ eruditionis partem dilucidavit, conscripto libro *de Rhetoricæ natura & constitutione, deque antiquis Rhetoribus, Sophistis & Oratoribus*.

HISCE commode demum subjunguntur eorum laudatores, qui conscribendarum Epistolarum artificium tradiderunt. Quorum catalogum primus contexuit ille librorum promus condus Conradus Gesnerus *lib. I. Pandectarum* quo *de Grammatica* agit, *tit. XVIII.* Quibus ple- Gesn. fol. 32. col. 3 & 4.

rosque

rosque recentiores addidit Christophorus Heidmannus, vir optimus & de hac Academia liberalibusque studiis bene meritus, *prolegomenis annotationum in Lipsii Epistolicam institutionem.*

CAPUT XIII.

E quibus Poëtarum notitia discenda sit laudantur.

Illos excipit ordo Poëtarum, quibus memorandis & celebrandis præter universales scriptores peculiariter etiam nonnulli studium suum impertiverunt. Et ad simplicem quidem ac nudam cognitionem Poëtarum veterum Latinorum celebriorum omnium parandam prodesse potest *catalogus* præmissus *Prosodiæ* Smetii, adnotato simul plerisque tempore quo floruerunt.

PRÆCIPUE vero ad vitas Poëtarum tam Græcorum quam Latinorum describendas multi laborem impenderunt. Quorum princeps est polyhistor ille doctissimusque Romanorum Marcus Terentius Varro, composito opere *de Poëtis*, Latinis videlicet. Sed quod cum plurimis aliis ejusdem scriptis dudum intercidit, nonnisi quibusdam iisque perpaucis fragmentis hodie superstitibus Superiori sæculo idem fecit Petrus Crinitus, conscriptis *libris V. de Poëtis Latinis.* Ita tamen, ut nugarum & mendaciorum ab accurate rem æstimantibus arguatur. Quo nomine eum reum agit Josephus Scaliger in *Manilii vita*, prout illa quidem priori *commentarii* ejus *in Manilii libros* editioni præmissa legitur. Nam in *prolegomenis* posterioris editionis id est mutatum. Post Crinitum fusius & accuratius id ipsum egit Lilius Gregorius Gyraldus in *dialogis de historia Poëtarum tam Græcorum quam Latinorum*, antiquorum pariter & recentiorum. Quamquam & ipse commisso-

rum

rum errorum tum ab aliis accuſatur tum ab eodem Scaligero *ibidem* utriusque editionis.

Porro Gaſparem Cælium retuliſſe in compendium Poëtarum vitas, à Georgio Vaſaro pluribus voluminibus comprehenſas, legitur in Jani Nicii *Pinacotheca I, imag. CXXVII.* Sed iſte quidem locus manifeſto mendoſus eſt, neceſſarioque pro voce *poëtarum* legendum *pictorum.* Nam & Vaſarius non poëta ſed architectus ac pictor excellens fuit, & Cælium itidem pictorem non unum è multis ſed inter multos propemodum ſingularem fuiſſe narrat Nicius, & ibi ſtatim ſubjungitur, Cælium pictoribus à Georgio enumeratis multos in ſuo compendio addidiſſe. Ipſummet tamen Cælium poëmate illuſtrium poëtarum vitas complexum Nicius refert.

Nic pag. 231.

Nic. pag. ead.

Noſtra memoria idem præſtitit Joan. Petrus Lotichius, vulgata *Bibliotheca Poëtica* quadripartita, à conatu omnino laudanda, quæque ad notitiam Poëtarum comparandam plurimum conducit. Majori omnibus aliis accuratione deinceps id aggreſſus eſt Gerardus Joan. Voſſius, ſed aliis ſtudiis occupatus & morte præreptus opus imperfectum reliquit. Prodierunt tamen ab ejus obitu *de veterum Poëtarum temporibus libri duo*, etiam ſic ſumme utiles. Seorſim demum *Græcorum Poëtarum vitarum epitomen*, Gallice tamen, edidit Tanaquillus Faber, dilaudatam *tomo I ephemeridum eruditorum.*

Ephem. p. 16.

DE Latinis porro Poëtis tum recentioribus tum priſcis in certas ætates diſtributis prolixum juxta & accuratiſſimum judicium tulit Julius Cæſar Scaliger toto *libro VI Poëtices*, quem *Hypercriticum* inſcripſit.

ADDI denique debent Poëtis Metricæ artis ſcriptores, quos laudatos inveniet lector à Voſſio *lib. de Philologia cap. 9, § 7 & 8.*

CAPUT XIV.

Qui de scriptoribus eloquentiæ vel imitationis ratione habita, Grammaticis item Criticisque commentati sunt, narrantur.

PRoxime subjungendi nunc veniunt, qui tam de Græcis quam Latinis scriptoribus, quatenus utrique ad eloquentiam comparandam adeoque dictionis & sermonis imitationem faciunt, sententias pronuntiaverunt.

In quibus, quod ad Græcos spectat, unice commendandus est Dionysius Halicarnassensis, qui de præcipuis Poëtis, Historicis, Philosophis, Oratoribus illud ipsum partim concise partim diffuse persequutus est in *Criticis*. Quo pertinent tum ἐξέτασις τῶν ἀρχαίων sive *elogia de priscis scriptoribus*, tum περὶ τῶν Ἀττικῶν ῥητόρων ὑπομνηματισμοὶ πρὸς Ἀμμαῖον *commentarii ad Ammæum de Atticis oratoribus*. Inprimis autem de Oratoribus istis Græcis prolixam & accuratissimam censuram instituit, quæ partim exstat, partim pro deperditâ habetur. Ubi tum de aliis, tum præcipue de Demosthene ac Thucydide fusissime disserit, omnem eorum loquendi rationem diligenter examinans. Nam Thucydidem quoque oratoribus annumerat, quod historiæ plurimas easque artificiosas orationes admiscuerit. In iisdem Criticis est *Epistola ad Pompejum* de Platonis dictione & quatuor Historicorum Græcorum imitatione.

Circa utrosque, tam Græcos quam Latinos, inprimis autem Romanos, eosque potissimum oratores, idem non minus operose egit Marcus Tullius. Huc enim itidem præcipue pertinet paullo ante laudatus *Brutus*, nec minus ejusdem *Orator*, ut & libri *de Oratore*. Idem fecit, concisius quidem, ad plures tamen utriusque linguæ scriptores, Poëtas, Oratores, Historicos, Philosophos, sermone sese

ex-

extendente, Fabius Quintilianus *lib. 10. oratoriar. institution. c. 1.* nisi quod Græcorum elogia magnam partem è Dionysio tacite sint translata. Similiter huc referri debent Scaligeri *Poëtices V & VI* sive *Criticus & Hypercriticus libri*, quamquam ad solos Poëtas eosque Latinos spectent.

Optimos præterea, quorumque verba & loquendi ratio imitatione maxime sint digna, Latinos scriptores in aciem ordinemque digessit Basilius Zanchus in *verborum Latinorum epitome*. Quam tabulam inde desumtam proposuit Gesnerus *Pandectar. lib. I, tit. XIV.* Porro de Latinis præcipuis, quod quidem ad eloquentiam facit, scriptoribus in aliquot ætates divisis egit Andreas Schottus *Tullianar. quæstion. lib. 1, cap. 13, 14, 15, 16*: Zanchi simul ordine summopere probato. De quibus ætatibus Schottum Joannemque Niessium sequutus ubertim quoque disseruit Scheurlius noster *Statuæ Mercurii parte 2, sect. 1, cap. 1.* Simili ratione solos Poëtas Latinos in ætates distributos sub censuram vocat Scaliger *Poetic. lib. VI*, ceu jam notatum.

Gesn. fol. 31, col. 1.

De plerisque omnibus insuper Latinis scriptoribus juxta ætates, simul quinam in eorum scripta sive recensendo sive commentando & illustrando operam contulerint indicatis, præclare disseruit Barthius *lib. 50 adversarior. cap. 9.* Quam ejus commentationem *Apparatui* suo *Philologiæ* inseruit etiam Johan. Michaël Dilherrus. Eodem modo de præstantissimis, non nisi paucis tamen, scriptoribus una cum singulorum prolixis elogiis egit Scheurlius modo laudatæ *Statuæ parte II, sect. II.*

Barth. col. 2355 & seq.

ILLOS excipiunt Grammaticorum laudatores. Perinde vero nunc est, sive ex hodierno sive prisco usu vox isthæc accipiatur, ita videlicet ut sub iis Grammatistæ quoque comprehendantur, quum jam apud veteres quoque modo strictius modo latius ea fuerit usurpata.

Ubi primum ſtatim ſeſe offert Geſnerus, qui nomina Grammaticorum quidque ſinguli in eo genere ſcripſerint more ſuo diligenter annotavit aliquoties jam adducto ac deinceps adducendo *libro I, Pandectarum*: & Latinorum quidem *tit. II, III, IV*; Græcorum autem *tit. XX. par. 3.*

Geſn. fol. 6 & ſeq. item fol. 36.

Ab aliis inſuper quæ ad vitam eorum, & maxime quidem Latinorum, ſpectant, litteris ſunt mandata. Quo pertinet Svetonii Tranquilli *de illuſtribus Grammaticis* liber. Plenius de iis & quidem ſecundum omnes Grammaticæ ſpecies egit Gerardus Joan. Voſſius *lib. I, Ariſtarchi* ſive *de Arte Grammatica cap. 5, & 6, & 7.* Quibus addenda ſunt quæ *lib. de Philologia cap. 4, §. 11. cap. 5, §. 12 & ſeq. cap. 7,* §. *quinque priorib.* de iisdem notata leguntur. Recentiores aliquot Grammaticos commendavit etiam Raphaël Volaterranus *lib. XXI commentarior. urbanor.*

Raph. pag. 489 & 490

Seorſim Lexicographos dictionariorumque collectores ut & etymologiorum ſimiliumque librorum ſcriptores, qui Latinæ Græcæ aliarumque diverſarum linguarum vocabula interpretati ſunt, indicavit idem Geſnerus *eod. libro, tit. IIX, IX, XIX, & XX parte 5.* Quibus addendus eſt Nicolai Erythræi *Mithridates*, ingens liber, in quem ſexaginta & amplius linguarum immo omnium gentium & nationum vocabula ſeſe colligere memorat *Indice in Virgilium* tum alias tum voce *Philomela* & *Xanthus*: ſed qui in publicam lucem numquam fuit editus. De Joachimi Camerarii, Henrici Stephani, hujusque in Græcis epitomatoris Joannis Scapulæ, Hadriani Junii, Joannis Friſii, Baſilii Fabri, aliorumque poſt Geſneri illam ætatem hoc in genere vulgatis laboribus non opus eſt quidquam referre, quum eruditiorum neminem temere eorum notitia lateat, ſuaq; ſingulos utilitas abunde comendet. Præ-

terea

terea de etymologiorum, glossariorum, lexicorum differentiis & conscriptoribus, Græcis præsertim, prolixe disputat Philippus Jacobus Maussacus *dissertatione critica*, subjuncta *lexico Harpocrationis*. Mauss. à pag. 356 ad pag. 376.

Alii priscorum Latinorum Grammaticorum libros junctim vulgando de iis eorumque notitia non minus plurimum meruerunt. Tales sunt *Auctores Latinæ linguæ in unum redacti corpus*, adjectis *notis* Dionysii Gothofredi JCti celeberrimi, anno hujus sæculi post vigesimum secundo Genevæ postremum editi. Præter quos alii *Grammaticæ Latinæ auctores antiqui*, numero XXXIII, uno volumine itidem comprehensi, opera & studio Heliæ Putschii, Hanoviæ typis Wechelianis anno ejusdem sæculi quinto sunt evulgati.

SUPERSUNT qui Criticis celebrandis operam adhibuerunt. Quos propterea omnibus aliis postpono, quod veri ac genuini Critici munus ad nullas non disciplinas & artes sese extendat, adeoque non sit uni vel alteri duntaxat generi dicatum.

Bonum vero foret, ut multi, qui non infimi in iis censeri volunt vel sunt, nec tanta vehementia rem agerent, nec in litteris jugulandis unice laborarent, eoque nescio quam non gloriam aucupentur, quo ipso tamen non raro pro luce tenebræ potius scriptoribus offunduntur lectorque dubius redditur; sed reliquis ad officium suum pertinentibus non minus gnaviter incumberent. Quodnam autem negotium Criticæ Criticoque proprie sit datum, post alios clarissime docet Vossius, paucis quidem *lib. de Philologia c. 7. §. 9, & c. 9, §. 3*; fuse vero *lib. I, de arte Grammatica cap 6.* Breviter Maussacus: Κριτικὴ *maxime circa tria versatur, circa obscure dictorum explicationem, bonorum & sanorum judicium, & verorum germanorumque* Mauss. pag. 377.

ab adulterinis distinctionem: de singulis protinus ubertim differens.

Tametsi vero ista est veræ Criticæ amplitudo, & istud ejus officium: tamen recentiores, quique post præclararum doctrinarum studia resuscitata vixerunt hodieque vivunt, peculiariter ab ejus usurpatione denominati, in Historicorum, Oratorum, Poëtarum, similibusque ad litteras & humanitatem referri solitis monumentis, iisque emendandis, potissimum κρίσιν exercuerunt exercentque. Quales vel omnem vel magnam vel aliquam partem sunt *Adversariorum*, *Antiquarum lectionum*, *Castigationum*, *Collectaneorum*, *Commentariorum*, *Conjectaneorum*, *Curarum*, *Divinationum*, *Electorum*, *Emendationum*, *Epistolarum*, *Epistolicarum quæstionum*, *Explanationum*, *Interpretationum*, *Miscellaneorum*, *Notarum*, *Novarum lectionum*, *Observationum*, *Quæstionum*, *Scholiorum*, *Semestrium*, *Spicilegiorum*, *Suspicionum*, *Variarum lectionum*, *Variarum observationum*, aliorumque similia nomina gerentium librorum scriptores.

Speciatim porro præcipuos Criticos commendavit Gaspar Scioppius eleganti dissertatione *de Criticis & Philologis veteribus & recentioribus*, præmissa *de Arte Critica commentariolo*. Est autem dissertatio isthæc pridem ab eo conscripta in inclyta Norimbergensium Academia Altdorffina. Unde singularis illa immo divina laus Scaligerorum in ea legitur, quos postea tamen in *Scaligero Hypobolimæo* vehementissime fuit insectatus. Similiter de celebrioribus Criticis egit quoque Vossius in magno opere *de Arte Grammatica loco laudato*.

Ipsorum denique recentiorum plerorumque omnium Criticorum huc facientes libros congestos nomine *Lampadis* sive *Thesauri Critici* tomis sex evulgavit ipsemet in eo genere

genere maxime excellens Janus Gruterus. Quibus ſeptimus tomus poſt additus eſt à Joh. Philippo Pareo, ſed in ignomiam Gruteri, & eruditis minus probatus.

ISTI ſunt ſcriptores, qui ad introductionem in aliorum notitiam, adeoque ipſarummet omnis generis bonarum diſciplinarum & artium ſcientiam comparandam, commendatum nunc oblati fuerunt. E quibus eos, qui poſterioribus capitibus enumerati ſunt, ad Philologiam referri ſolere, notum eſt. Et eam quidem vel Græcam vel Latinam. Cui dicatus etiam eſt Voſſii pluries laudatus *de Philologia* liber. Alias enim circa alias quoque linguas aliarumque gentium hiſtorias quæ occupetur Philologia non minus datur: utut vix ulla cum Græca & Latina ejusdem perinde ſit amplitudinis. Quomodo Italica, Gallicana, Germanica, aliisque gentibus vernacula lingua jam ab aliquo tempore laudabiliter excolitur. Inprimis autem Hebraicæ aliarumque Orientalium linguarum Philologia. Cujus generis omnino futura fuit *Bibliotheca Philologica*, quam *Bibliothecarii par. I, cap. II,* pollicitus eſt Hottingerus; cujus lamentabili caſu tum alia tum illa præſertim ſtudia immenſam jacturam fecerunt. Qualem Philologiæ Sacræ partitionem inſtituit idem *ibid. c. V.*

Hott. p. 24

Hott. pag. 86 & 87. ſed eſt 88, & 89.

CAPUT XV.

Populares & illitteratas artes quinam deſcripſerint artificesque celebraverint.

CONcludamus demum univerſam hanc ampliſſimam claſſem illorum ſcriptorum commemoratione, qui vel artes, tum quas populares Voſſius, tum quas illitteratas Geſnerus, neuter incommode, vocat, vel de iis earumque ſeu inventoribus ſeu præſtantioribus magiſtris quidquam ſcriptis mandaverunt. Ordior autem à popularibus,

quas

quas quatuor Vossius indigitat: Grammatisticen, Musicen, Gymnasticen, Graphicen seu Pictoriam.

ET quidem de GRAMMATISTICÆ scriptoribus nihil invenio annotatum. Etiam frustra quis eam scripto tradere vel conatus fuerit, quum optime facilimeque, perinde ut complures aliæ, manuductione & usu atque imitatione doceatur pariter atque discatur. Sunt quidem haud pauci libelli ad Grammatisticen pertinentes typis exscripti; sed qui non nisi figuras & imagines repræsentant, prout videlicet juxta varia genera scriptionum litteræ ipsæ aliter atq; aliter formentur. Longe quippe aliud est artis præcepta tradere, & aliud exhibere artis opera sive specimina.

Neutiquam tamen heic omittendi sunt, qui de litterarum inventoribus scripserunt. Id quod fecit Gyraldus *dialogo I, de hist. Poëtarum*, similiter Hermannus Hugo libro *de prima scribendi origine & universæ rei litterariæ antiquitate*, ut & Vossius *lib. I, Artis Grammaticæ*, quo lectores ipsemet amandat *lib. de quatuor artib. popularib. c. 2, §. 8.*

De Grammatistis autem ipsis antiquis quibusdam nonnulla leguntur in eorum scriptis, qui de Grammaticis egerunt, paullo ante jam memorati.

MUSICÆ (quam propter antiquitatem merito reliquis præponimus) scriptorum, sive theorice sive practice (ut cum Gesnero loquar) id fecerint, celebriorumque Musicorum catalogum recenset Gesnerus *lib. VII, Pandectarum tit. 3 & 6.* Fusius autem de ejusdem scriptoribus disserit Vossius *lib. de scientiis mathemat. c. 20 & 22.* Quemadmodum qui de reliquis omnibus rebus ad Musicen quomodocunque pertinentibus egerunt scriptores multos indicat idem Gesnerus *eod. libro.* de rebus vero ipsis eleganter etiam disputat Vossius tum *lib. eod. c. 19 & 21*, tum *lib. de artibus popularibus.* Debet autem iis addi Athanasii

Kircheri

Kircheri *Musurgia universalis* sive *Ars magna consoni & dissoni*, grande opus.

Ipsos autem *Musicos antiquos Græcos* hodienum superstites junctim edidit Marcus Meibomius.

GYMNASTICÆ porro scriptores Vossius memorat *lib. de quat. artib. popularib. cap. 3. §. 101 & 102.* Quibus jungenda sunt quæ de iis habentur in amplissimi Conringii nostri *Introduct. in Artem Medicam cap. 13. § 12.*

JAM scriptorum ad GRAPHICEN seu Pictoriam pictoresque pertinentium indicem quendam confecit Gesnerus *lib. 13. Pandectar. tit. 10.* Præcipuos itidem pictores & ejus artis scriptores recenset Vossius *lib. de artib. popularib. c. 5. §. 34 & seq.* Nonnulla quoque de pictoribus & sculptoribus habentur apud Raphaëlem Volaterranum *lib. XXI commentarior. urbanor.* Scriptoribus autem istis addi debet *de pictura & certa colorum compositione* liber, quem inter alios sese affectum habere *præfat. annotation. in Vitruvium de Architectura* narrat Guilielmus Philander: sed an perfecerit edideritque, incertum est. Item *Graphice* seu *de arte pingendi* liber, quem Joannes Schefferus, insigne illud non minus Argentorati sui quam Upsaliæ decus, nuperrime in lucem emisit. Raph. pag. 39 & seq.

Porro *vitas Pictorum, veterum & recentium*, descripsit Carolus Vermanderus. Idem ante fecisse Georgium Vasarium, & post ejus tum epitomatorem tum continuatorem Gasparem Cælium, proximo capite ex Jani Nicii *Pinacotheca* jam est notatum. Præterea Felibieni *discursus de vitis & operibus præstantiorum pictorum, veterum & modernorum*, Gallice tamen conscripti, memorantur *tomo II, ephemeridum eruditorum.* Celebriores etiam, non nisi paucos tamen solosque Hollandos, pictores laudat Hadrianus Junius *Bataviæ cap. XVI.* Ephem. p. 470 & seq. Jun. p. 238 & seq. edit. Plantin.

Sed & recentiorum artificum quidam, imaginibus insuper eorum æri incisis, orbi sunt commendati. Quales sunt *effigies Pictorum aliquot celebriorum, præcipue Germaniæ inferioris*, quæ Hagæ — Comitis junctim prodierunt.

EX illitteratis artibus silentio quoque prætereunda non est Architectura sive potius MECHANICE. Ad quam pertinentes scriptores multos nominat idem Gesnerus *lib eod. tit. 1, & 2*, copiose vero de iis agit Vossius *lib. de scient. mathematic. cap. 48, & 49.*

Ubi rursus mentio quoque facienda est paullo ante adducti Georgii Vasarii, utpote qui non duntaxat ipsemet excellens in ea arte fuit, sed etiam ad scriptores ejus generis spectat, *vitas Architectorum* describendo, laudatas Henrico Wottono *præfat. in Elementa Architecturæ*, à Johanne de Laët cum Vitruvii aliorumque similis argumenti libris edita.

QUA occasione sese offert Petri Borelli *de vero Telescopii inventore & usu* liber. Tametsi enim alio spectat; tamen quod ab earum artium ordine, de quarum scriptoribus nunc agitur, ejus argumentum non sit alienum, memoriæque caussa, non incommode heic potest nominari.

IISDEM artibus accenset etiam Gesnerus CHEMIAM, ejusque aliquot scriptores recitat. Nec id sane injuria. Sed quod illi ad artis Pharmaceuticæ adeoque Medicos scriptores referri soleant, de iis nunc nihil attinet quidquam addere.

NEC diversa ratio est RUSTICÆ rei scriptorum, ut quos Vanderlindius itidem inter Medicos recenset, quamquam Gesnerus proprium titulum eis dedit.

IN quibus omnibus demum TYPOGRAPHIA cum suis cultoribus & magistris summo jure locum sibi ven-

vendicat, eumque dignitatis utilitatisque ratione minime postremum. Cujus inventum primamque originem Batavis suis & peculiariter quidem Harlemo asseruit Hadrianus Junius *Bataviæ cap. XVII.* De ejusdem inventione egit etiam Guido Pancirollus libro *de novis repertis*, & in suis ad eum *notis* Henricus Salmuthus. Fusius id argumentum persecutus est Bernardus à Mallinckrot libro *de origine & progressu artis Typographicæ.* Quem mox excepit Marci Zuerii Boxhornii dissertatio *de Typographicæ artis inventione & inventoribus.*

Jun. à pag. 253 ad pag. 258 ejusd. edit.

CAPUT XVI.

Quinam certi duntaxat ævi doctrina clarorum virorum memoriam litteris mandaverint.

ORdinem sub initium hujus tractationis constitutum observanti sese nunc offert OCTAVA classis, illis data, qui priscorum pariter ac recentium rationem habuerunt. Non autem opus est peculiarem heic instituere recensionem, quum vix quisquam ex enumeratis sit, paucos si excipias, quin huc pertineat. Qui proinde si cum deinceps laudandis conjunguntur, classis isthæc erit absoluta. Huc videlicet promiscue omnes pertinent, sive juxta ætates, sive seriem litterarum, sive scientias & artes, sive gentium ac linguarum discrimina, sive ordines & vitæ instituta, sive alio modo, de scriptoribus egerint; tantummodo non ad certum quoddam ævum sese adstrinxerint.

NONAM proinde classem tenent, qui sive sui sive alterius, non nisi certi tamen ac definiti duntaxat cujusdam ævi, scriptores annotaverunt atque commendaverunt.

Ubi qui proximo & hoc sæculo superior sit nullum nunc memoria repetere possum. Primus itaque sit David Chytræus, in cujus *Saxonia* multorum doctorum virorum,

tamen quam maxime Germanorum, memoria, præcipue vero tempus emortuale, nec id ſine elogio, annotatum reperitur: ita tamen, ut Chriſtiani ſæculi ſexti decimi finibus omnia includantur. Neque nulla hujus generis habentur in Joh. Sleidani *de ſtatu religionis & reipublicæ commentariis*, ut & Pauli Eberi *Kalendario Hiſtorico*. Item in Joachimi Camerarii *de Philippi Melanchtonis vita narratione*, nec id unquam ferè ſine prolixo encomio.

Idem operoſius factum eſt, additis numquam non quibusdam elogiis, à Jacobo Auguſto Thuano in *Hiſtoria ſui temporis*: niſi quod anguſtiori annorum ſpatio ea circumſcribatur. In qua non minus externorum quam popularium ſuorum habuit rationem, qui quidem eruditionis nomine præcipue fuerunt celebres. Quorum omnium notitiam procul dubio partim ab amicis accepit partim ex aliis ſcriptis hauſit. Quosnam vero ſcriptores in externis hiſtoriis potiſſimum ſit ſequutus, oſtendunt indices ſingulis libris præmiſſi, tum in ea, quæ partim Aurelianenſis, partim Genevenſis inſcribitur, tum in Francofurtenſi editione illa, quæ maxima forma vulgata eſt.

Huc itidem pertinent, dudum quidem ante conſcripta, ſed pauciorum laudes continentia, Pauli Jovii *Elogia virorum literis illuſtrium, quotquot vel ſua vel avorum memoria claruerunt*: additis ſimul nonnullis eorum imaginibus. Alias etiam ſeorſim *Muſæi Joviani Imagines* induſtria Theobaldi Mulleri Baſileæ vulgatæ ſunt; ſed hinc alienæ, ad *elogia virorum bellica virtute illuſtrium* ſpectantes: pauciſſimorum duntaxat magnorum regum ac principum, qui eruditionis eruditorumque ſingulares patroni fuerunt, imaginibus exceptis.

Porro Federici Borromæi Cardinalis opera laudans
Nic. pag. 267. Janus Nicius *pinacoth. I, imag. CXLVII*, memorat *de ſacris*
ſuorum

ſuorum temporum oratoribus unum. Sed quod hiſtoricine an alterius ſit argumenti, pronuntiare nunc mihi non eſt integrum.

Certi quoque duntaxat temporis ſcriptores deſcribuntur in *Vitis Germanorum* Melchioris Adami, ſimiliter in *Pinacotheca* Jani Nicii, ut & in *Muſeo* Johannis Imperialis, nec non aliorum libris. Sed de quibus deinceps commodius erit agendum. Sufficit interim eorum mentionem heic factam fuiſſe.

CAPUT XVII.

Hebraicorum ſcriptorum cognitio à quibus diſcenda ſit.

PErgimus igitur ad DECIMAM claſſem & eos enumerandos, qui ſive ſuæ ſive alterius certæ gentis ſcriptores notos reddiderunt. Sub quorum iſtis etiam comprehenduntur, qui licet ejusdem originis non ſint, tamen incolatu gentiles eorum facti ſunt. Sed & iisdem ut accenſeantur, ſolius quoque linguæ uſus aliquando facit. Quomodo ad Latinos ſcriptores vulgo nec injuria referuntur, qui ſermone iſto doctrinam ſuam tradiderunt, etiamſi alias ab iis fuerint remotiſſimi. Nunc igitur horum omnium ratio ſimul habebitur, tametſi in complurium cenſu tum genus tum habitatio potiſſimum attenduntur.

Primus autem locus jure merito datur HEBRÆIS ſcriptoribus, idque in debitum honorem non duntaxat antiquisſimis ſcriptoribus ſacris Veteris Teſtamenti, ſed etiam ipſimet DEO optimo maximo. Veteris inquam. Nam Novi libros præter Matthæi hiſtoriam non niſi Græca lingua conſcriptos eſſe conſtat. Quin ipſummet Servatorem eadem plerumque fuiſſe uſum, perquam veriſimiliter affirmatur. Nec tamen ipſos illos ſacros priſci

fœderis ſcriptores heic enumerabo, nec quæ ad eos pertinent vel verbo tangam, multo minus eorum qui de iis egerunt quenquam adducam, quod ad Eccleſiaſticorum ſcriptorum ordinem ſpectent in eoque primas obtineant; quæ vero præterea de iis notanda ſunt, *Introductioni ſingulari* commodius reſerventur. Iis igitur ſolum nominandis nunc opera dabitur, è quibus aliorum qui ea lingua ſcripſerunt cognitio comparari poteſt.

In quibus ante alios rurſus laudandus venit Geſnerus, qui neque heic induſtriam vel ſaltem voluntatem ſuam præclara ſtudia juvandi deſiderari fuit paſſus, *libri I Pandectarum titulo XXI* iis recenſendis dicato. Deinde ſeſe offert Johannis Molderi *Catalogus præcipuorum Judaicæ gentis doctorum*, additus ejusdem *Malleo obſtinationis Judaicæ*, qui anno milleſimo ſexcenteſimo fuit editus. Poſtea *Chronologiam ſuccinctam præcipuorum ſanctioris linguæ doctorum*, juxta ſeriem ætatis inſtitutam, ab initio mundi ad ſuum uſque tempus confecit Theodorus Ebertus, Profeſſor Academiæ Francofurtenſis ad Oderam, anno hujus ſæculi vigeſimo vulgatam. Ubi tamen antiquiſſimos etiam ſanctos ſcriptores Hebræos adducit, & ex ſuperiori noſtroque ſæculo omnes Chriſtianos, qui Hebraicæ linguæ ſtudium promoverunt & illuſtraverunt, in quibus præter unum & alterum vix quisquam habetur, qui genere Judæus fuerit.

Plus adhuc heic laboravit Johannes Buxtorffius, tum in *Thalmudi recenſione*, cum ejusdem librorum & capitum indice alphabetico, tum in *Bibliotheca Rabbinica*: utraque juxta ſeriem alphabeticam librorum, non autem ipſorummet Rabbinorum, conſcripta, & adjuncta ejusdem libro *de Abbreviaturis Hebraicis*. Præterea *catalogos librorum Hebræorum* compoſuerunt Legerus & Menaſſe Ben

Iſraël, Johanni Henrico Hottingero laudatos. Qui poſt illos omnes idem argumentum operoſe tractavit *Promptuarii* ſeu *Bibliothecæ Orientalis c. I*, juxta diſciplinas ac locos communes, ceu loquuntur, variis Rabbinis eorumque libris adductis.

Hiſce vero ſcriptoribus omnino quoque annumerandus eſt Jacobi Gaffarelli *Index codicum Cabaliſticorum manuſcriptorum, quibus Johannes Picus Comes Mirandulanus uſus eſt*, Pariſiis anno hujus ſæculi primo & quinquageſimo editus. Nec minus huc referenda Pauli Colomeſii Ruppellenſis *Gallia Orientalis*, ſeu *Vitæ Gallorum qui linguas orientales excoluerunt*. Sed quem in ea *elogia potius colligere quam vitarum ſpecialia recenſere videri*, cenſent collocutores Gallicani *tomo II ephemeridum eruditorum*. Ephem. Pag. 371.
Quamquam non ad hos duntaxat ſed proxime ſequentes etiam ſcriptores illa tractatio pertineat.

Hebraicis demum ſcriptoribus CHALDAICI quoque annumerantur, de quibus proinde ſigillatim non eſt agendum.

CAPUT XIIX.

Arabicorum aliorumque Aſiaticorum & Africanorum ſcriptorum memoriam qui tradiderint.

PORRO ad ARABICORUM ſcriptorum cognitionem comparandam primum faciunt peculiares catalogi, quales præcipue exhibentur in *Orationibus* Thomæ Erpenii, Georgii Paſoris, aliorumque diſſertationibus ac libris, in quibus ſelectiores iſti ſcriptores enumerantur. Seorſim *manuſcriptorum librorum Arabicorum CCLXI Bibliotheca Laurentiana* in Eſcuriali Regis Catholici *catalogum* ſuperiori ſæculo conſcripſit Licentiatus Caſtillius, quem in *Appendice* ſuæ *Bibliothecæ Orientalis* refert Hottingerus,

tingerus, aliis ejus generis indicibus ſimul additis, qui ſunt; *Catalogus librorum manuſcriptorum, quos Joſephus Scaliger bibliothecæ Leidenſi legavit*; item *bibliothecæ Erpenianæ*; & *blibliotheca Johannis Baptiſtæ Raymundi.* Ejusdem præterea *Bibliothecæ Laurentianæ catalogum* à Johanne Ravio confectum idem Hottingerus *eodem libro* adducit. Præ omnibus aliis autem Arabicos ſcriptores quam diligentiſſime enumeravit toties laudatus Hottingerus *Promtuarii* ſive *Bibliothecæ Orientalis cap II*, utpote quod potiſſimam iſtius libri partem conſtituit, juxta diſciplinas ac locos communes itidem iis recenſitis.

Hott. pag. 216.

ALII præterea peculiariter etiam ejus gentis doctorum virorum vitas deſcripſerunt, Philoſophorum præcipue ac Medicorum. Quorum omnium præcipuus eſſe dicitur Ben-Caſen, quem Hottingerus *libr eod.* alias Abi Obſcibea, alias Abu Elaighbas Ahmed Ben-Caſem nominat. Qui ſcriptor ab aliis itidem laudatur; ſed hactenus nondum, quod ſciam, editus. Deinde inter libros ex oriente à Jacobo Golio advectos memoratur etiam volumen Aben Aſelhi *de doctorum virorum vitis ſub Arabico Imperio.* Sed nec illud hactenus lucem vidit. Sunt & alii anonymi, qui idem argumentum litteris perſequuti fuerunt. Sed itidem in bibliothecis latentes, quorumque nihil præter nomen vulgo hactenus eſt cognitum.

Hott. p. 72. & 213.

Duo tamen iſtius generis ſcripta cum erudito orbe communicata ſunt. Alterum eſt Gregorii Abul Pharajii Malatienſis *Compendium dynaſtiarum*, è diverſis hiſtoricis & chronologicis monumentis collectum. Cujus partem quandam cum Latina verſione ac doctiſſimis annotationibus, titulo *Speciminis hiſtoriæ Arabum ſive Gregorii Abul Faragii de origine & moribus Arabum narrationis*, Oxoniæ anno hujus ſæculi quinquageſimo: & poſt anno ſexageſimo ibidem

ibidem integrum itidem cum Latina interpretatione ac notis, nomine *Historiæ compendiosæ dynastiarum*, edidit Edoardus Pocockius. In quo multa de doctis viris habentur. Alter est Johannis Leonis Africani, (ejus qui ad Christianam religionem conversus à Pontifice Leone X nomen accepit, cujusque *Historiam Africanam* docte ac diligenter scriptam habemus,) *de viris quibusdam illustribus apud Arabes* liber, ex ea lingua in maternam ab eo traductus. Quem ex Medicea bibliotheca descriptum *Bibliothecarii par. III. cap. III.* inseruit Hottingerus. Multa Hott. pag. 146.
quoque huc pertinentia suggerit *Authorum nomenclatura*, quam *notis in Specimen* subjunxit Pocockius, nec minus ejusdem *notæ in Historiam*.

Neque vero mirum cuipiam videri debet, quod Arabicorum scriptorum in plerisque generibus artium ac scientiarum tanta sit copia, quum per aliquot sæcula Philosophiæ ac Medicinæ studia, posteaquam apud Christianos interciderunt, apud Arabes aliasque eorum lingua usas gentes solas floruerint, & ab iisdem demum ad Christianos iterum reducta sint. Id quod præclare ostendit χαριέστατος Conringius noster *dissert. I. de Antiquitatibus Academicis*.

SYROS porro scriptores enumerat idem Hottingerus *eod. libro cap. III*, sicut SAMARITANOS *cap. IV*, ÆGYPTIACOS sive COPTICOS *cap. V*, & ÆTHIOPICOS *cap. VI*. Sed qui omnes oppido pauci sunt, ut de iis non multum possit afferri.

CAPUT XIX.

Græcorum Latinorumque scriptorum cognitio unde accipienda.

AB Asiaticis & Africanis scriptoribus converto me ad Europæos, ubi longe plurimi sese offerunt memorandi,

perinde ut Europa cum universo reliquo terrarum orbe; licet omnium sit minima pars, præstantia tamen ingeniorum atque doctrinæ certat, eoque superior est. In quibus tamen haud pauci simul habentur, qui extra Europam tum nati sunt tum vixerunt.

Et primum quidem agendum esset de GRÆCIS scriptoribus, utpote quibus scientiæ & omnis bona eruditio, tanquam parentibus, (quorum lingua quoque salutarem de æterna felicitate doctrinam consignatam habemus) debentur acceptæ. Sed qui Græcos scriptores omnes, vel saltem potissimos, uno indice sive libro complexus sit, nemo temere dabitur. Ideoque enumeratio eorum conficienda erit tum ex catalogorum, tum chronologiarum, tum vitarum, tum aliis aliorum generum scriptoribus.

Potest tamen huc quadamtenus referri, quod Atheniensis, Parisiensis, Bononiensis, Patavinæ Academiarum celebres doctos viros breviter recenset Theodorus Zwingerus *in Methodo Apodemica*. Plus adhuc spriptorum Græcorum, maxime vero gentilium, notitiam juvare possunt indices quidam. Qualis est *Index scriptorum à Polluce laudatorum*, quem *Onomastico* ejus subjunxit Wolfgangus Seberus. Item Joannis Pricæi *Index alphabeticus scriptorum qui in Hesychii Græco vocabulario laudantur*, additus *Apulesi Metamorphoseos libris* ejusque in eos *notis*, item nuperæ Hesychiani dictionarii editione. Qualis etiam est πίναξ geminus *Bibliothecæ* Photii ab Hœschelio collectus.

Neque silentio prætereundæ *Icones Græcorum sapientium*, Joanni Cottunio Equiti dedicatæ, Pataviique publicatæ.

COMMODE igitur transeo ad LATINOS, utpote qui quasi coloniis ex Græcia institutis, artes ac scientias

in

in Italiam aliasque occidentalis orbis provincias intulerunt. Ubi tamen itidem neminem reperio, qui ab antiquo ævo usque omnes Latinos doctos & præcipue scriptores eosque solos annotaverit. Ideoque illorum quoque scriptorum cognitio non aliter atque modo dictum potest comparari. Contexenda videlicet eorum series erit ex omnis generis ad hoc argumentum spectantibus indicibus ac libris. Nisi quod recentiorum doctorum Italorum laudatores quosdam habeamus. Id quod præcipue factum ab iis, quibus Jurisconsultorum notitia debetur, supra nominatis. Quorum nonnulli tamen veterum quoque vel simul vel solorum rationem habuerunt. Reliqui vero mox indicabuntur.

CAPUT XX.

Italicos scriptores qui celebraverint.

NUnc igitur singulatim veniunt commendandi, qui de solis ITALIS proximorum sæculorum doctrina illustribus egerunt; quamquam plerique omnes vel superiori sæculo vel nuper demum adeoque nostra ætate hoc argumentum tractaverint.

In quibus primo loco memorandus est Paulus Jovius, cujus *Elogia virorum litteris illustrium* jam quinto abhinc capite sunt adducta. Celebre nomen deinceps invenit Jacobus Philippus Thomasinus *illustrium virorum Elogiis*, in quibus simul doctorum virorum vitæ una cum imaginibus ære expressis exhibentur. Quorum altera pars anno hujus sæculi trigesimo, altera quadragesimo quarto Patavii prodiit. Circa idem tempus editum est Venetiis Johannis Imperialis *Musæum Historicum & Physicum*. In cujus priori parte virorum illustrium imagines cum vitis & elogiis itidem traduntur. Similiter eodem tempore Coloniæ

loniæ Agrippinæ curante Bartholdo Nihuſio vulgata eſt Johannis Victorii Roſcii ſed ſub Jani Nicii Erythræi nomine *Pinacotheca imaginum illuſtrium doctrinæ vel ingenii laude virorum, qui auctore ſuperſtite diem ſuum obierunt*, tripartita. Qua tamen nulla vultus cujusdam effigies, ſed eorum quos deſcribit, etiam multorum ad doctorum ordinem neutiquam pertinentium, mores animique ſive virtutes ſive vitia, eaque nonnullorum plane eximia, proponuntur. De quo aliisque Nicii ſcriptis notandum quoque judicium πολυμαθεστάτου Thomæ Reineſii volumine *Epiſtolarum ad Hofmannum & Rupertum epiſt. LXVI.*

Reineſ. pag. 587.

ALII præterea certarum regionum vel urbium vel aliorum quorundam Italiæ locorum doctrina ſcriptisque claros viros poſteritati commendaverunt.

Ita BONONIENSIUM Juriſconſultorum hiſtoriam tradidit Nicolaus Alidoſius in opere inſcripto *Li Dottori Bologneſi di legge Canonica è Civile*, quos aliquoties in teſtimonium adducit eorum Collegium in *Relatione de Irnerio*, ſententiam rogatum à Nihuſio in controverſia cum venerabilis memoriæ Georgio Calixto noſtro, ſuper Juris Civilis Juſtinianei reſtitutione in occidente.

Petri Diaconi Caſinenſis ſive (ut alii ſcribunt) Caſſinenſis, ejus videlicet qui Leonis Marſicani dicti Oſtienſis *chronicon* continuavit, ſcriptorum indicem è Poſſevini *Apparatu* recitans Voſſius in opere *de Hiſtoricis Latinis* nominat etiam librum *de viris illuſtribus monaſterii CASSINENSIS.* Ejus autem teſtimonio utitur, verba quædam inde referens, Baronius in *Annalibus anno 1088. num. IV.* Quem tamen haud pridem ex Bibliotheca Barberina Joh. Bapt. Marum luci expoſuiſſe cum *notis*, Hottingeri indicio didici.

Voſſ. pag. 409 edit. alt.

Porro *FLORENTINORUM Elogia* ſcripſit Michaël Poccian-

Poccianṫius. Quemadmodum *clarorum LIGURUM Elogia* ad Johannem Andream Auriam Ubertus Folieta, Romæ anno ſuperioris ſæculi ſeptuageſimo quarto edita. Seorſim *de Collegii MEDIOLANENSIUM Medicorum origine, antiquitate, neceßitate, dignitate*, librum Johannes Baptiſta Silvaticus. Similiter Marcum Antonium Bonciarium ſuſcepiſſe delatam provinciam ſcribendi *de viris illuſtribus, qui per annos quadringentos PERUSIÆ armorum vel litterarum gloria floruerunt*, ex ejus *epiſtolis* refert Nicius *pinacoth. I imag. LIII.* Nic. p. 97.

ROMANOS etiam ſed non niſi breviſſimi temporis aliquot ſcriptores indicant Leonis Allatii *Apes Urbanæ*, (ab inſignibus Urbani VIII. Pontificis ita dictæ,) ſive catalogus virorum illuſtrium, qui ab anno 1630. usque ad annum 1632. Romæ vixerunt & typis aliquid evulgarunt.

Poſtremo VERONENSIBUS quoque laudandis nonnulli diligentiam ſtudiumque impenderunt. Primum Andreas Chioceus *de Collegii Veronenſis illuſtribus Medicis & Philoſophis, qui vel ſcribendo vel publice profitendo collegium, patriam, & bonas literas illuſtrarunt*, libro, anno hujus ſæculi vigeſimo tertio vulgato. Ad cujus exemplum deinceps anno quinquageſimo tertio publicata ſunt *Collegii Veronenſis Judicum Advocatorum Elogia*, à Julio à Puteo conſcripta. In quo poſteriori opere plures inſuper præter modo dictum Chioccum *elogiorum* tum aliorum tum & præcipue quidem JCtorum, Bernardus videlicet Bruſcus, Franciſcus Polla, Franciſcus Pona, Franciſcus Cerutti, Polycarpus Palermus, item Franciſcus Paulus Morigia *vitarum natalium illuſtrium*, ut & Franciſcus Sanſovinus *familiarum illuſtrium*, aliique ſcriptores laudantur.

CAPUT XXI.

Hispanicos & Gallicos scriptores qui memoraverint.

PORRO de HISPANICIS scriptoribus egit in commentario *de doctis Hispaniæ viris atque ejusdem Academiis* Alfonsus Garcias Matamorus, exhibito in opere *Hispaniæ illustratæ*. Similiter Valerii Andreæ Taxandri catalogus *clarorum Hispaniæ scriptorum* prodiit Moguntiæ anno hujus sæculi septimo. Habentur præterea *Elogia & nomenclator clarorum Hispaniæ scriptorum, qui Latine disciplinas omnes illustrarunt*, inserta *Hispaniæ Bibliothecæ*, ab Andrea Schotto digestæ & adornatæ. Cujus ejusdem opera junctim quoque vulgati sunt varii rerum Hispanicarum scriptores, *Hispaniæ illustratæ* nomine, modo laudatæ.

GALLORUM *doctrina illustrium Elogia*, auctore Scævola Sanmarthano, prodierunt Augustoriti Pictonum anno hujus sæculi secundo. Præterea *de scriptoribus Gallicis* libros composuerunt Antonius du Verdier & Franciscus dominus de la Croix du Maine. De Thuani *Historia* & Colomesii *Gallia Orientali* jam ante dictum est. Quibus annumerari possunt, quamquam ad universalium catalogorum ordinem potius spectent, Philippi Labbei *Nova Bibliotheca* libri duo, Parisiis anno quinquagesimo septimo editi, quibus varia manuscripta in bibliothecis Gallicanis latitantia indicantur.

Sunt insuper etiam nonnulli, qui magis speciatim certorum quorundam Galliæ locorum doctos viros scriptis suis immortalitati tradere voluerunt. Scilicet *de claris scriptoribus CABILONENSIBUS* tres libros Ludovicus Jacob, celebris ille Carmelitanæ familiæ monachus, Parisiis anno quinquagesimo secundo publico dedit. LE-

RINÆ

RINÆ quoque insulæ doctos viros peculiariter laudavit in *chronologia scriptorum* ejus Vincentius Baralis Salernus. Seorsim item *de illustribus Medicis* PARISIENSIBUS librum dudum pollicitus est Renatus Moræus; cujus præstantiam tanquam è speciminibus inde excerptis licet æstimare è vita Jacobi Sylvii, ejus *operibus* junctim editis, & vita Guilielmi Ballonii, *consiliis* ejus præmissa.

CAPUT XXII.

Quibus Anglicorum scriptorum notitia debeatur accepta.

TRanseamus ad ANGLICOS scriptores, de quibus non minus diversi commentati sunt. Quos inter primum ipsemet Beda, quem *venerabilis* titulo vulgo cognominare solent, hoc in genere aliquid scripsisse commemoratur; sed fama valde incerta, ceu fatetur Johannes Pitseus *par. 1. relation. historicar. de reb. Angl.* Post Bedam *catalogum* eorum scriptorum circa annum Domini cIↄ XL. composuisse fertur Bostonus monachus Benedictinus Buriensis, sed qui similiter Pitseo nunquam fuit visus. Porro idem fecisse Roussum Warwicensem scribit Gvilielmus Bishopus *præfat. in Pitsei relationes.* Alium deinde monachum & quidem Carthusianum *catalogum doctorum Angliæ* itidem incepisse sed non absolvisse refert Pitseus, & ipsum juxta cum Bostoni catalogo pro deperdito habens. Post quos Johannes Lelandus junior superiori sæculo *de illustribus Britanniæ scriptoribus* libros quatuor composuit.

Pitf. p. 52.

Pitf. pag. ead.

Lelandi recensionem postmodum continuavit Johannes Balæus, in catalogis *Anglicorum scriptorum*, à Lycosthene & Simlero *Epitomæ Bibliothecæ Gesneri* dein insertis. Sed qui, quod Pontificiorum religione deserta Reformatos sectatus fuerit, acerrime ab adversariis est impetitus. Et

Pitf. p. 10. 52.53 & seq. Pitſeus quidem *morionem* eum vocat, *apoſtatam monachum, in ſcriptis ſpurcum & ſcurrilem, qui hoc argumentum tracta-vit dicam? an fœdavit?* item Baleum *Lelandi catalogum ſuis fæcibus infeciſſe* ſcribit: mox ſubjungens per aliquot paginas acerbiſſimam in hominem invectivam. Fuiſſe videlicet eum *hæreticum, & ſacerdotem (ſalva lectoris re-verentia) maritatum*: eſſe *fœdiſſimum ſcurram, Lelandi ca-talogum non tam prolixe auxiſſe, quam prodigioſe deprava-viſſe, omnia mendaciis & calumniis repleviſſe, & opus Lelandi politiſſimum pollutiſſimo ſtylo turpiter conſpurcaviſſe.* Quibus ſimilia plurima per integram eam (ceu vocat) *notam* in popularem ſuum jacit Pitſeus. Ut facile tamen appareat, quo ſpiritu dictante iſthæc effuſa fuerint. Simi-libus contumeliis eum inſequitur *Relationum* editor Bis-hopus in *præfatione*, librum inſuper Balæi *peſtilentiſſimum* nominans. Valerius etiam Andreas *præfat. ad lector. in Bibliothecam Belgicam* propter easdem cauſſas Balæum vo-cat *hominem impium & infamem apoſtatam.* Infamia vero iſthæc in quonam conſiſtat, ex iſtis Pitſei dictis palam eſt. Fuit enim monachus Carmelitani ordinis Balæus, at poſtea reformatam religionem amplexus uxorem duxit. Quod autem vehementius in Pontificium dominatum invehatur Balæus, tanto minus forte quiſpiam mirabitur, quanto gravius præ aliis regnis ſacram tyrannidem Anglia fuit experta. Ideoque acerbiora dicta ipſemet excuſat *præfat. ad lector. in Acta Romanorum Pontificum.*

Tametſi vero Baleus adeo inviſus fuerit Pontificiis, tamen ipſimet catalogum ejus de Anglicis ſcriptoribus co-guntur commendare. Valerius ſane Andreas poſt allata in eum convitia mox ſubdit, eum *nominari tamen loco iſto vel ideo potuiſſe, ut quis è ſordibus gemmas legat.* Procul du-bio id neutiquam facturus, ſi alius, qui idem argumentum tracta-

tractavisset, ipsi fuisset cognitus: quamvis id jam tum præstitisset toties memoratus Pitsius. Cujus etiam *opus quod videretur necessarium, libro Balæi pestilentissimo è manibus Catholicorum excutiendo, in lucem ut prodiret*, sese curavisse scribit Bishopus.

Johannes videlicet Pits Anglus, sed qui maximam partem ætatis extra patriam vixit, & tandem Liverduni in Lotharingia obiit, *de illustribus Angliæ scriptoribus* novum opus suscepit, idque suomet judicio omnium absolutissimum & accuratissimum, exhibitum *tomo primo relation. historicar. de rebus Anglicis*, sed post ejus obitum demum anno hujus sæculi nono decimo à populari Bishopo Parisiis editum. Ut omnino mirum sit, ejus notitiam Valerium Andream fugisse. Estque sane diffusum, nec absque multa diligentia congestum: sed plenum affectibus, & ex quo exclusi sunt, qui eadem cum eo sacra non sunt sectati, quorum proinde notitia aliunde peti debet. Dicit se Lelandum maxime secutum. Attamen etiam notandum, quod in *Græcæ linguæ historia* Gvilielmus Burtonus scribit: *Neque nos fictis & speciosis titulis ac nominibus quicquam gloriabimur. Missum itaque facimus Johannem Grammaticum quem cognomento Philoponum dicunt, doctissimum Aristotelis interpretem, neque enim alius ille est, quem Anglo-Oxoniensem facit, & magnatum filios Græcis literis instituendos suscepisse, narrat Johannes Pitseus, plagiarius impudens, qui post Balæum, quem fœdè suppilavit, Anglicorum scriptorum catalogum satis prolixum consarcinavit: deceptus, sed satis volenter tamen illud, ut res ipsa docet, ab iis, qui bibliothecæ Bodlejanæ libros, atque eos qui sunt Collegii Novi, in catalogum composuerunt.*

Vid. Pits. relation. p. 817. & 818.
Pit. p. 53.
Burt. p. 55

Jam ante tamen *de quibusdam illustribus Angliæ viris* librum unum conscripsit etiam Georgius Lilius. Gerhardus

N quidem

quidem Meierus *libr. 2. biblioth. Theolog. contr. c. 15. §. 3.* Guilhelmum vocat. Sed fuit Guilhelmi filius, quod Pitſius tradit.

SEORSIM porro de Regiæ proſapiæ & utriusque quidem ſexus doctis, quique iſthoc nomine tum olim tum nuper adhuc fuere celebres, præclare diſſerit Gerhardus Johan. Voſſius in *dedicatione* operis *de Arte Grammatica* ad Carolum, tum Walliæ Principem, hodie magnæ Britanniæ Regem.

Neque ſilentio prætereunda *Bibliotheca Anglorum contracta*, qua præcipui ejus gentis Theologi, qui quidem intra viginti annorum ſpatium ſcripſerunt, recenſentur ab Hottingero *Bibliothecarii par. I. cap. III.*

Quæ omnia poſtremo claudat *Heroologia Anglica*, id eſt, clariſſimorum & doctiſſimorum aliquod Anglorum, qui floruerunt ab anno Chriſti 1500. usque ad annum 1624. vivæ effigies, vitæ ac elogia, duobus tomis, autore H. H. Anglo-Britanno, exhibita.

CAPUT XXIII.

Germanici ſcriptores à quibus annotati commendatique ſint.

PErgendum nunc eſt ad GERMANOS noſtros, eruditione & ſcriptis claros ſive ſaltem nomen aliquod indeptos, de quibus itidem non unus commentarius confectus eſt. Primus id fecit Johannes Trittenheimius *de luminaribus Germaniæ* libro. Similiter *de illuſtribus Germaniæ viris* catalogum ſcripſit Hieronymus Zieglerus.

Operoſius dein id argumentum tractavit, vitas ſimul deſcribendo, Henricus Pantaleon in *Proſopographia heroum atque illuſtrium virorum totius Germaniæ*, Baſileæ anno ſuperioris ſæculi ſexageſimo quinto vulgata. Quam

Melchior

Melchior Adamus & alii subinde laudant, Valerius Andreas autem in *biblioth. Belg.* vocat *vagas incertasque farragines.* Val.p.264.
Aliquanto post, anno primo & octogesimo, Cornelius Looseus Goudanus, (sed qui se Callidium Chrysopolitanum, cognomen videlicet suum Latino & natalis urbis nomen Græco vocabulo exprimens, appellavit,) *illustrium Germaniæ utriusque scriptorum*, quamvis plerumque inferioris, catalogum Moguntiæ edidit: *sed*, judice Valerio Andrea, *minus callide, aut calide nimis in plerisque*: quod nempe *nimis calide in novorum Episcogatuum erectionem incurrat, &, dum scriptores promittit, solas fere Urbes, scriptorum sedes natales, depingat.*

Exin anno ejusdem sæculi nonagesimo Argentorati prodierunt Nicolai Reusneri *Icones virorum literis illustrium, quorum fide & doctrina religionis & bonarum litterarum studia in Germania sunt restituta.*

Præcipue vero etiam atque etiam commendandæ sunt *Vitæ Germanorum*, quas magno studio magnaque diligentia ex variis scriptis, quæ numquam non indicat, congessit Melchior Adamus Silesius. Quamquam non omnes quo constituerat ordine prodierint. Primum videlicet *Philosophorum*, dein *Theologorum*, tum *Jurisconsultorum*, demum *Medicorum Vitæ* vulgatæ sunt. Nec earum laudi quidquam derogat, quod in isthoc opere nonnulli, commendatione utique non minus quam multi alii apprime digni, desiderentur: quum sine dubio ipsi non fuerint cogniti, vel de vitis eorum nihil certi quod referret constiterit. Non nisi definiti tamen temporis illam esse historiam, jam supra notatum; utpote quæ à superiori sæculo incipiat, nec ultra hujus annum vigesimum protendatur. Theologorum quoque non aliorum vitæ narrantur, præterquam qui Protestantibus fuerunt addicti.

Quorum vitis additæ ſunt etiam *Decades duæ, vitas Theologorum exterorum principum continentes.*

Invenio præterea inter eos, qui Germanorum doctorum vitas deſcripſerunt, nominari quoque Jacobum Verheyden. Sed qui num promiſcue Germanorum, an potius (quod ſuſpicor) duntaxat inferioris Germaniæ, doctorum memoriam litteris mandaverit, nunc non dixerim, quod heic lectorem deſtituat Valerius Andreas, ad cujus gentiles is omnino propius pertinere videtur. Scribit ille quidem in *Bibliotheca*, Guilielmi Verheyden vitam dediſſe Jacobum fratrem; & in *Indice*, quo *ſcriptorum Belgicorum cognomina* recenſentur, illi præmiſſo, Guilielmus & Jodocus Verheyden nominantur. Sed in *Bibliotheca* vel *Appendice* nec Jacobus nec Jodocus ſuo loco comparent.

CAPUT XXIV.

Qui ſeorſim Belgicis ſcriptoribus celebrandis ſtudium dicaverint.

PEculiariter autem in ſolis BELGICIS ſcriptoribus erudito orbi commendandis nonnulli fuerunt occupati, & quidem quam diligentiſſime: perinde ut Belgæ gentis ſuæ gloriæ præ aliis apprime ſunt ſtudioſi. Accedit, quod ad philologiam excolendam complures eorum naturali inſtinctu præcipue ducantur, ejus autem de univerſæ eruditionis origine atque propagatione adeoque doctoribus & ſcriptoribus hiſtoria, eximia quædam ſit portio.

Quod argumentum ſimpliciori modo tractavit Pancratius Caſtricomius, *nomenclatare ſcriptorum Latinorum Hollandiæ, Zelandiæ, & Ultrajecti* vulgato: ſed quo nomina duntaxat dedit. Jam dudum ante Johannes Bunderius monachus Dominicanus collegit *Indicem codicum manuſcriptorum per Belgium vicinaſque provincias.* Cujus

Indicis

Indicis *excerpta* Valerio Andreæ ſuppeditavit Aubertus Miræus. Nam Index ipſe periit: ſubtractus videlicet fortaſſis mala fide à quodam, qui vel publici boni invidia ſtimularetur vel ſuam gloriam inde quæreret. Tradit autem porro Valerius Andreas, Indicem illum collectum fuiſſe ex ſchedis ſcriptisque Guilielmi Carnificii, itidem Dominicani, qui Belgicas fere omnes & illuſtriores Germaniæ, Galliæ, Angliæ Bibliothecas ſedulo excuſſerat. Similem præterea catalogum manuſcriptorum librorum per Belgium exſtare Lovanii, & alterum Duaci, idem Valerius refert. Memoratur etiam Antonii Sanderi, mox rurſus adducendi, *Bibliotheca Belgica*, ſed hactenus itidem non niſi manu ſcripta. Accuratius elegantiusque deinceps eam rem tractavit modo memoratus Aubertus Miræus, ſcribendo *Elogia illuſtrium Belgii ſcriptorum*, ſemel iterumque edita.

Vid. Val. in præfat. ad lector. & Bibl. p. 420 & 471.

Poſt omnium operoſiſſime id argumentum perſecutus eſt toties jam laudatus Valerius Andreas, autore quidem & ſuaſore Andrea Schotto, confecta *Bibliotheca Belgica*. Quæ primum anno hujus ſæculi vigeſimo tertio, viginti vero annis poſt altera vice multumque auctior rurſus eſt vulgata. Qua alphabeti quidem ſeriem ſecutus ſcriptores enumerat, plerumque tamen ſimul additis quæ non duntaxat ad ætates ſed etiam vitas eorum pertinent. Niſi quod Tridentinis decretis ſit accommodata. Unde factum, ut multi hæreſios eoque quod damnati ſint nomine vel prorſus omiſſi vel notati fuerint. Hinc ipſemet quoque Joſephus Scaliger è Bibliotheca illa exſulat, cujus tamen ejusque ſcriptorum tum alias tum in Andrea Schotto, Daniele Heinſio, Hieronymo Commelino, Johanne Stadio diſerta ſit mentio. Nec obſtat, quod gente vel natalibus is aliique, quorum nomina ibi merito deſiderantur,

Belgæ non fuerint, quum in Bibliotheca multi Belgis accenſeantur, qui ſolo incolatu tales facti ſunt. Eadem de cauſſa in Caroli Magni glorioſiſſimi Imperatoris ſcriptorum recenſione ſilentio prætereuntur libri *de imaginibus*, ſub ejus nomine vulgati. Similiter quorundam catalogi non integri afferuntur. Quod manifeſtum eſt in Hugonis Grotii ſcriptorum enumeratione. Sugillantur autem Andreas Gerhardus Hyperius, Anna Maria à Schurman, Daniel Heinſius, Deſiderius Eraſmus, Dominicus Baudius, Emmanuel Meteranus, Georgius Caſſander, Guilielmus Merula in Paulo Merula, Gybertus Longolius, Hugo Grotius, Johannes Druſius, Johannes Sleidanus, Johannes Sturmius, Obertus Giphanius, Petrus Bertius, alii.

Quinquennio poſt primam editionem iſtius Bibliothecæ vulgavit quoque Franciſcus Sweertius *Athenas Belgicas*, ſive nomenclatorem inferioris Germaniæ ſcriptorum, majorem partem ex iſta transſcriptum, ipſomet quidem Valerio tradente.

Poſtremo, niſi fallor, huc inſuper pertinent *Monumenta illuſtrium virorum æri inciſa & Elogia*, conſcripta & edita à Marco Zuerio Boxhornio.

PORRO ſpeciatim *catalogum ſcriptorum ARTESIÆ* congeſſit Ferreolus Locrius. At *de ſcriptoribus FLANDRIÆ* libros tres compoſuit Antonius Sanderus, item ſeorſim *de GANDAVENSIBUS & BRUGENSIBUS eruditionis fama claris* peculiarem librum. Similiter *de ſcriptoribus FRISIÆ decadas XVI.* Suffridus Petrus, ſed ob fictitios ſcriptores in iis commemoratos minus laudatas. Præterea *Friſiam* ſeu *de viris rebusque Friſiæ illuſtribus* libros conſcripſit Martinus Hamconius. HANNONES denique celebravit Philippus Braſſeur tum *Sidera illuſtrium Hannoniæ ſcriptorum* tum *Bibliothecam Hannoniæ* edendo.

SEOR-

SEORSIM præterea quarundam Academiarum doctores nonnulli commendaverunt. Quomodo *de initiis ac progressu collegii Trilinguis BUSLIDIANI*, quod Lovanii est, *deque vita & scriptis Professorum ejusdem collegii* libellum edidit princeps hujus generis scriptorum (qui de Belgis videlicet egerunt) Valerius Andreas. Celebriorum LEIDENSIS Academiæ Professorum vitæ & imagines ære expressæ exhibentur in Johannis Meursii *Athenis Batavis*. Ad quod exemplum deinceps anno quinquagesimo secundo hujus sæculi prodierunt *Effigies & vitæ Professorum Academiæ GRONINGÆ & Omlandiæ*.

CAPUT XXV.

Qui speciatim insuper aliorum Germaniæ locorum, Danicis item Polonicisque scriptoribus inclytis reddendis operam tribuerint.

DE aliarum quoque regionum Germaniæ viris doctis & præsertim scriptoribus quædam annotata sunt, quamquam minori diligentia minorique numero, atque à proxime recensitis id est factum.

Ubi litterarum seriem sequenti primi offeruntur MISNENSES, de quibus eruditione scriptisque celebribus egit Petrus Albinus in *Chronico Misnensi*. Quemadmodum de POMERANICIS aliisque Septentrionalibus Johannes Micrælius jam supra non semel laudatus in *Annalibus & Historia Pomeranica*.

Porro SILESIORUM doctrina præcipue clarorum virorum succinctum catalogum sive nomenclatorem præmisit *Catalogo stirpium & fossilium Silesiæ* Casparus Schwenkfeldius. At fuse de iisdem popularibus suis egit Nicolaus Henelius ab Hennenfeld libro, cui titulus est: *Silesia togata, sive eorum, qui literatæ militiæ arte & fama in Silesia claruernnt,*

ruerunt, eulogia & memoria. Quibus addendus Simon
Pag. 16. Grunæus, *monumentorum Silesiæ* collector, supra jam memoratus.

Etiam suorum TIGURINORUM catalogum pollicitus est Hottingerus in *Bibliothecario.* De nonnullis denique WESTPHALIÆ doctis viris Davidis Chytræi, Johannis Caselii, Hermanni Hamelmanni, aliorumque narrationes habentur, *Opusculorum variorum de Westphalia* titulo junctim heic editæ. Quibus accessisset ejusdem H. Hamelmanni *de claris viris Westphaliæ* peculiaris commentarius, nisi collectorem, juvenem patriæ historiæ apprime studiosum, mors intercepisset.

Hott. pag. 10.

SUNT etiam, qui peculiariter Academiarum quarundam earumque doctorum famæ studuerunt. Quo quadamtenus pertinent *BASILIENSIA monumenta* Grunæi, dudum jam nominata. Seorsim præcipuos Theologos HEIDELBERGENSIS Academiæ qui ante reformationem vixerunt, breviter enumerat *notis in orationem Secularem de Collegio Sapientiæ* Hottingerus, quibus alia quoque ad Studia præsertim & controversias Theologicas illorum temporum pertinentia scituque digna narrantur. Peculiarem vero *de Theologiæ Professoribus Academiæ INGOLSTADIENSIS* librum scripsit Valentinus Rotmarus.

Huc porro pertinet *Centuria insignium scriptorum, qui in LIPSIENSI, WITTENBERGENSI, FRANCOFORDIANA ad Oderam Academiis à fundatione ipsarum usque ad annum 1515. floruerunt*, à Joachimo Johanne Madero heic edita. Omnino autem persuadeor, collectorem ejus vel non fuisse unum, vel certe diversis temporibus catalogum conscripsisse, nec illa quæ semel annotaverat relegisse, aut quæ post contigerunt addidisse. Manifesto

id elucet in Martino Mellerſtadio, qui omnino eſt Martinus Pollichius Mellerſtadius, primus Academiæ Wittenbergenſis Rector, quique diem obiit anno ſuperioris ſæculi decimo tertio. Cujus centuriator ita meminit, quod claruerit adhuc dum illa ſcriberet anno quinti decimi ſæculi duodecenteſimo: quum tamen de multis aliis ſcribat, eos adhuc claruiſſe anno ſuperioris ſæculi decimo quarto, quando Mellerſtadius jam in vivis eſſe deſierat. Ideoque de reliquis ejus rebus & laudibus poſt annum nonageſimum octavum nihil quicquam annotavit centuriator.

Catalogum Profeſſorum MARPURGENSIUM, epigrammatibus in eos conſcriptis, confecit Petrus Nigidius ſenior, à Melchiore Adamo aliquoties in teſtimonium adductum. Nec pridem catalogum clariſſimorum Profeſſorum MARPURGENSIUM & GISSENSIUM in *propylæo Athenæi Haßiaci* dedit Joannes Juſtus Piſtorius.

Celebriores demum Academiæ ROSTOCHIENSIS Profeſſores, qui ad annum ſuperioris ſæculi nonageſimum ſextum vixerunt, laudat Petrus Lindebergius *l. 5. chronici Roſtochienſis c.11.*

HOSCE deinceps imitatus *de ſcriptis DANORUM* ſuorum librum compoſuit Albertus Bartholinus, auctum poſt & pronuper editum à fratre Thoma, viro χαριεστάτῳ celeberrimoque. Seorſim vero Profeſſorum HAFNIENSIUM vitas cum indicibus ſcriptorum à ſingulis editorum collegit & edidit in *Regia Academia Haunienſi, in Regibus, conſervatoribus, rectoribus, profeſſoribus ſuis repreſentata*, Eraſmus Pauli filius Vindingius, ſub idem tempus vulgata.

POSTREMO ne POLONI nullum hoc in genere haberent laudatorem, curavit Simon Starovolſcius, *illuſtrium Polonicorum ſcriptorum hecacontade* publico data.

Hi ſunt, quorum nomina & ſcripta hac in claſſe nunc

oblata fuerunt. Quod ſi inſuper alii vel de his ipſis vel aliarum gentium & locorum doctrina ſcriptisque claris viris ſunt commentati aut poſt hac commentaturi, facile ſuo loco eorum mentio inſeri addique poterit.

CAPUT XXVI.

Qui de doctis viris & ſcriptoribus ſecundum vitæ genera, inprimis ordines monaſticos, item inter ſanctos relatis egerint.

PErventum jam eſt ad UNDECIMAM claſſem, quæ conſtituta fuit, quod ſint qui in doctorum virorum commemoratione ſeorſim vitæ generis habuerunt rationem.

Huc igitur quadamtenus pertinent ſeptimam claſſem obtinentes ſcriptores. Non niſi quadamtenus tamen. Nullius enim artis ac ſcientiæ peritia tractatioque protinus vel conſtituit vel mutat vitæ genus: quum ſæpenumero longe aliud colentes nemini temere ſecundi ſint eorum, immo aliquando excellant iis, qui ex profeſſo in his illisve ſcientiis occupantur, peculiariter inde quoque denominati.

Commodiſſimum locum tamen heic invenit Bernardi Mallinckrotii *de Archicancellariis Imperii* liber, utpote quo multa continentur à noſtro hoc argumento minime aliena.

INPRIMIS autem huc referendi ſunt, qui claros viros ordinum, & illorum quidem ordinum, qui ad familias & ſodalitia Monachorum pertinent, celebraverunt. Ideoque ſoli Pontificii nunc enumerabuntur. Nec tamen de omnium ordinum reliogoſorum doctis & illuſtribus viris agam, quum tantus illorum (ordinum dico) ſit numerus, ut vulgo non omnes perinde ſint noti: præſertim quod ſubinde vel novi acceſſerint, vel priores jamque recepti in alias ſectas diviſi fuerint. Præterea quoque non omnes

ordines

ordines æque doctis viris gaudent: immo non pauci sunt, in quibus vix à doctrina commendatum quempiam liceat invenire. Similiter nunc non attendam, an ordo fuerit primarius aliquis, an ex alio ortus: sed prout eos alphabeti series suppeditaverit, ita recensebuntur.

De iis igitur primus nunc memorandus egit Raphaël Volaterranus *lib. XXI.* & seorsim quidem de Augustinianis, Benedictinis, Dominicanis, Franciscanis, Eremitis. Raph. sub. init. Tametsi enim is aliter atque hujus instituti ratio fert in ea re versatus est, tamen ex parte illius quoque opera huc pertinet. Ab aliis autem mox nominandis idem deinceps fusius alioque modo fuit præstitum.

Primordium fiat ab ipsismet PONTIFICIBUS. Quos heic locari facit Ludovici Jacob Burgundi Carmelitæ *Bibliotheca Pontificia*, duobus libris distincta. In primo agitur ex professo de omnibus Romanis Pontificibus à S. Petro usque ad Urbanum VIII. ac de Pseudo pontificibus, qui scriptis claruerunt. In secundo vero de omnibus auctoribus, qui cum in generali tum in particulari eorum vitas & laudes, nec non præcellentiam auctoritatemve posteritati consecrarunt. Cui adjungitur catalogus Hæreticorum, qui adversus Romanos Pontifices aliquid ediderunt. Lugduni anno quadragesimo tertio impressa.

At CARDINALES hoc nomine celebravit Antonius Sanderus, *Elogia Cardinalium sanctitate doctrina & armis illustrium* conscribendo.

De AUGUSTINIANIS & quidem CANONICIS REGULARIBUS S. Augustini illustribus egit Johannes de Nigra valle, item Philippus Novariensis, nec non ante Petrus Impens in *Chronico*, Valerio Andreæ memorato, sed tum nondum edito.

De scriptoribus autem ordinis EREMITARUM S. Au-

 gustini

gustini egit Thomas Gratianus, Præfectus provincialis ejus Ordinis per Belgium, in *Anastasi Augustiniana*, sive libro *de scriptoribus ord. Eremit. S. Augustini:* & ad ejus forte exemplum Johannes Rivius, Prior Provincialis ejusdem ordinis per Belgium, itidem in *Anastasi Augustiniana*. Idem fecit Josephus Pamphilus, item Philippus Elsius. Sine dubio quoque id egit nobilissimum ejus ordinis decus Onuphrius Panvinius, tum in *Chronico ordinis Eremitarum* publici juris facto, tum in *Historia ejusdem ordinis*, affecta quidem sed non absoluta. Præter quos etiam Cornelius Curtius scripsit *Elogia virorum illustrium ord. Eremit. S. Augustini*, cum imaginibus edita.

Seorsim *de illustribus viris Ordinis BENEDICTINI* scripsit Joannes de Turre cremata. Item quatuor libros Joannes Trittenheimius. De iisdem egit quoque Arnoldus Wionus Duacensis libris quibus titulum fecit, *Lignum vitæ, ornamentum & decus Ecclesiæ* Idem porro fecit Franciscus Ivanes, item Aubertus Miræus in *Chronico Benedictino*. Quibus addi debet Caroli Stengelii *Corona lucida ex illustribus vita doctrina sanctitate monachis ord. S. Benedicti descripta & in æs incisa*.

De CARMELITIS egit Arnoldus Bostius Gandavensis libro *de illustribus viris ordinis sui*. Præterea Petrus Lucius Bruxellensis in *Bibliotheca Carmelitana*. De iisdem porro commentatus est Johannes de Cartagena. Quibus accessit Parisiis nuper impressa Ludovici Jacob *Bibliotheca Carmelitana*, seu de scriptoribus ordinis Carmelitarum ab anno 1141. usque ad nostra tempora liber.

Porro de *illustribus viris CARTUSIENSIUM* librum scripsit idem Arnoldus Bostius. Eosdem celebravit Petrus Dorlandus Diestensis in *Corona de viris Cartusiani ordinis illustribus*, sive *Chronico Cartusiano*; quod cum *notis* Theodori

dori Petreji fuit editum. De iisdem egit idem Petrejus Campensis conscripta *Bibliotheca Cartusiana.* Præterea de Carthusianis celebribus libros scripserunt Petrus Blomevenna, Franciscus de Puteo, Petrus Sutor.

De CISTERTIENSIBUS egit Aubertus Miræus in *Chronico Cistertiensi*, item Carolus de Visch in *Bibliotheca scriptorum ordinis Cistertiensis.*

Ordinis CLUNIACENSIS viros celebres laudat *Bibliotheca Cluniacensis*, pridem Parisiis edita, sed cujus scriptoris nomen nunc ignoro.

Jam DOMINICANOS sive PRÆDICATORUM ordinis claros viros commendavit libris *de viris illustribus sui ordinis* Leander Albertus Bononiensis, ille alias *descriptione Italiæ* celebris. De iisdem egit peculiari opera Ambrosius Goræus. Quod porro etiam fecit Antonius Senensis. Idem præstitit Petrus Malpæus Bruxellensis in *Athenæo Dominicano.* Idem demum fecit Joannes Garzonius, Alfonsus Fernandez Placentinus, Johannes Albertus, Johannes Mariolta.

Similiter FRANCISCANOS seu ordinis MINORUM scriptores memoravit Henricus Willotius, ordinis sui minister Provincialis & Commissarius generalis per Belgium, edito opere quod inscripsit *Athenas orthodoxorum sodalitii Franciscani.* De iisdem porro peculiariter egit Franciscus Gonzaga, item Petrus Rudolphus, & Lucas Waddingus.

Ordinis HIERONYMIANI historiam dedit Josephus de Seguenza.

In JESVITIS celebrandis primum occupatus fuit Petrus Ribadeneira, *catalogo scriptorum societatis Jesu* publicato. Quem deinde novo apparatu librorum ad annum recuperatæ salutis 1642. editorum magna cura atque diligentia continuavit & auxit in *Bibliotheca scriptorum societatis Jesu* Philippus Alegambe Bruxellensis. De

De Celebribus viris ordinis PRÆMONSTRATENSIS egit Aubertus Miræus in *Chronico ordinis Præmonstratensis*, & in *Bibliotheca ordinis Præmonstratensis* Joannes le Paige.

Poſtremo *de illuſtribus viris ordinis SERVORUM* peculiariter egit Jacobus de Plebe.

HAC occaſione appendicis loco memorabo nonnullos, qui de doctis viris in ſanctorum numerum relatis ſcripſerunt.

Ita Franciſcus Lanovius *de ſanctis Franciæ Cancellariis* librum edidit. Joannes Roberti *ſanctorum quinquaginta Jurisperitorum Elogia*, contra populare commentum de ſolo Ivone, Valerio indicante. Porro *diarium de Medicis ſanctis* Joannes Molanus, *Nomenclatorem ſanctorum profeßione Medicorum* Abrahamus Bzovius, *de Medicis ſanctis eorumque vitis* Bartholomæus Moſerus in *Quadriga Medicinæ triumphantis*. Similiter *vitas aliquot ordinis Eremitarum S. Auguſtini beatorum* ſcripſit Cornelius Curtius, quemadmodum *de ſanctis Belgii ex ordine Prædicatorum* librum Hyacinthus Choquetius. Quibus annumerandus Antonii Sanderi *de claris ſanctitate & eruditione Antoniis* commentarius.

Mitto nunc alios, præſertim qui generatim de Sanctis egerunt. In quo argumento præcipue laboravit Heribertus Rosweydus *Faſtos Sanctorum*, ejusque continuator Joannes Bollandus *Vitas Sanctorum* conſcribendo. Cujus vel præcedentis generis fortaſſis etiam eſt Gvilielmi Gazæi *Bibliotheca ſacra Belgica* Gallice vulgata. Hos inquam mitto, quod eos huc proprie non pertinere vel ſolæ librorum inſcriptiones manifeſto oſtendant.

CAPUT

CAPUT XXVII.

Claras & præsertim doctas Fœminas qui scripto laudaverint.

HUjus classis scriptoribus haud incommode quoque accensentur, qui Fœminas, & eruditionis quidem præcipue nomine, peculiariter celebraverunt.

Quarum laudes illustravit ex antiquitate primum sese nunc oggerens Plutarchus libro hodieque superstite *de mulierum virtutibus*, sive cui potius titulus est *Mulierum virtutes*. In quo multa præclara facinora ab illo sexu patrata leguntur. Sed ille quidem plane alterius generis est, neque cum nostro instituto quicquam habet commune, in iis totus quippe occupatus, quæ ad fortia gesta fœminarum pertinent.

Ad nostram vero considerationem spectant, quæ Clemens Alexandrinus *lib. IV. Stromat.* de mulieribus Philosophis annotavit, quamquam de opido paucis illic agitur. Habentur etiam *Epistolæ* quædam nonnullarum fœminarum, Pythagoricæ præsertim philosophiæ deditarum, aliquoties & à diversis editæ. Illustrissimæ præterea πυθαγορίδες nominantur tum in *vita Pythagoræ* apud Diogenem Laërtium tum Jamblichi *lib. de vita Pythagoræ cap. 36.* Quamvis enim paucæ duntaxat ex ipsis illis Pythagoræ sectatricibus aliquid scripserint, non immerito tamen reliquæ quoque eruditionis nomine memorantur. Fusius hoc argumentum tractavit Charon Carthaginensis, ut qui præter quatuor libros, quibus βίους ἐνδόξων ἀνδρῶν *vitas illustrium virorum*, totidem quoq; libris similiter *vitas mulierum* descripsit. Sed utrumq; illud opus intercidit, ejusq; memoria Suidæ debetur conservata.

Clem. p. 522. Paris. edit.

Quarto decimo sæculo exeunte Joannes Bocatius Florentinus *de illustribus viris* librum unum & *de claris mulieribus* itidem librum unum scripsit. In quo posteriori Gesnerus

rus in *Bibliotheca* refert deſcribi LXXXI. mulieres, recentiores tamen paucas, plurimas autem quæ apud veteres gentiles aut virtutibus aut vitiis inſignes fuerunt. In quo inſuper & Poëticæ quædam de mulieribus fabulæ explicentur. Sed quum iſtud quidem ejus libri ſit argumentum, utiq; nihil quicquam ad nos eum ſpectare, ſponte liquet.

Sub finem porro proxime ſequentis quinti decimi ſæculi Jacobus Philippus Bergomenſis monachus Eremita ſcripſit *de claris Mulieribus Chriſtianis*, uti quidem Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* annotavit. Nam Trittenheimius in libro *de illuſtribus viris* libri iſtius non meminit, quum ipſemet ille adhuc ſupereſſet. Fortaſſis itaq; iſthoc tempore liber ille vel nondum fuit ſcriptus vel nondum innotuit. Sed nec Geſnerus in *Bibliotheca* ejus mentionem fecit, ſine dubio quod nec ipſi fuerit notus. Simlerus autem in *Epitome Bibliothecæ Geſneri* memorat ejus librum *de præclaris & electis Mulieribus*. Quantum vero vel è ſolo titulo, ſive quem Bellarminus ſive quem Simlerus indicat, conjectari licet, & ille liber eſt alienus ab hoc noſtro inſtituto. Vel enim de mulieribus Chriſtianis pietatis nomine præcipue commendatis, vel etiam quæ martyrium propter Chriſtum ſuſtinuerunt, is agit. Quomodo *de vitis ſanctarum Mulierum* librum ſcripſit Joachimus Perionius, item *vitas ſanctarum Virginum quæ in ſæculo vixerunt* Heribertus Roſweydus, nec minus *ſanctarum Virginum vitas* Paulus Æmilius Sanctorius. Memoratur etiam Alexander Vanden Boſche ſive Sylvanus *collectionem Fœminarum virtute illuſtrium* Gallice tamen ſcripſiſſe. Sed quæ quidem cujusnam generis proprie ſit, non temere quis inde divinaverit.

At huc omnino pertinet prolixus doctarum fœminarum catalogus, quem *gloſſa in XI. legem connubialem num.* 30. recenſet Andreas Tiraquellus, is qui ſingulis annis ſingulos

libros & liberos reipublicæ dediſſe à Thuano perhibetur. Similiter plane ad noſtrum inſtitutum deditaque opera id argumentum egregie tractavit Marcus Zuerius Boxhornius edita *Bibliotheca eruditione ac ſcriptis illuſtrium Fœminarum.* Alias etiam doctarum fœminarum ſparſim meminerunt non unius generis in hac παιδείᾳ memorati ſcriptores. Quod ipſum diligenter quoque fecit Gerardus Joannnes Voſſius in quadruplici opere *de Græcis Latinisque* tum *Hiſtoricis* tum *Poëtis.* Quibus inſuper complures alias & potiſſimum quidem iis libris indictas addit *lib. de Philologia cap.* 2. *§.* 3.

Præcipue vero muſicæ & poëticæ nomine jam ab antiquisſima memoria celebratæ ſunt quædam fœminæ. Cujus perquam illuſtria exempla leguntur etiam in ſacra hiſtoria de Mirjam poſt exitum populi Iſraëlitici ex Ægypto & mari obrutum Pharaonem cum univerſo ſuo exercitu, de Debora, de fœminis ex civitatibus Iſraëliticis obviam prodeuntibus Sauli poſt occiſum à Davide Goliathum.

Nec Græcis tales fœminæ, quas more ſuo magnis laudibus efferrent, defuerunt. Quam rem inſigniter dilucidat Euſtathius παρεκβολαῖς εἰς τὴν Β ῥαψῳδ. τῆς Ἰλιάδ. in *digreſſionibus* (ita namque Græcam illam vocem interpretari mihi viſum) *ad lib. II. Iliadis.* Quum enim σκόλιον quoddam de Admeto Athenis cantari ſolitum recitaſſet, ſubjungit: ὅτι δὲ καὶ γυναῖκες ἦσαν οὐ μόνον ἄλλως σοφαὶ, ἀλλὰ καὶ μελοποιοὶ, οὐ μόνον ἐκ τῆς ῥηθείσης Πραξίλλης δῆλον, ἀλλὰ καὶ Σαπφοῦς καὶ Κορίννης καὶ Ἠρίννης. Ἦν δὲ ποιήτρια κρουμάτων καὶ χαριξένη. *Quod autem & mulieres fuerint non duntaxat alias ſapientes, ſed etiam cantilenas fecerint, non ſolum ex dicta Praxilla manifeſtum, ſed & Sappho & Corinna & Erinna. Erat vero poëtria pulſationum & hilarans hoſpites.* Euſt. pag. 247. edit. Froben.

CAPUT XXVIII.

Qui quæ ad ſcriptores pertinent per occaſionem tångunt in certas ſpecies diſtribuuntur.

SUpereſt jam DUODECIMA adeoque ultima claſſis eorum, qui quæ ad univerſum hoc negotium de ſcriptoribus omnis generis pertinent, alio adhuc modo ſunt perſecuti. Quod ſi vero ſingulos illos deberem recenſere, tempus me deſtitueret, quum non temere fortaſſis aliquis dabitur liber, qui quidem eruditionis gratia ſit ſcriptus, quin aliquid huc pertinens aliquando tangat. Ne tamen heic plane omnia videantur eſſe confuſa, certa quædam genera eorum poſſunt conſtitui, ad quæ hujus rei ſive univerſæ ſive ſaltem unius alteriusve ſtudioſum in legendo ex uſu fuerit attendere.

Commode videlicet in tres ſpecies hæc claſſis poteſt diſpeſci. Vel enim quippiam affertur de iis, quæ ad ætatem ac vitam alicujus ſcriptoris & doctoris pertinent: vel doctrinam ab eis traditam attingunt: vel ad voces loquendique rationem ſpectant.

Intelligo vero, ceu jam ſupra monui, nunc non niſi illos, qui quaſi prætereundo & aliud agentes talia notaverunt. Nam qui talia de induſtria tractant, etiamſi citra ordinem & prout ſeſe forte fortuna offerunt id fiat, ad eos, qui vel univerſum hoc negotium vel hoc illudve ſcriptorum genus vel hunc illumve ſcriptorem illuſtrare propoſitum habent, referri debent.

Ad *primum* jam genus modo conſtitutum refero omnes, qui ad ſcriptorum ſive nomen, ſive patriam, ſive ætatem, ſive vitam, ſive valetudinem, ſive mores, ſive geſta, ſive dignitates & vitæ genus, ſive ſcripta, ſive alia eodem pertinentia, attingunt: ſive id ſtrictim fiat, ſive prolixius.

Ad *ſecundum* genus qui pertineant, ex ſeſe patet. Omnes videli-

videlicet ſub hoc genere comprehenduntur, qui non duntaxat in aliorum placita inquirunt eaque examinant, ſed etiam qui genuinas ſententias eorum indagant & oſtendunt, quique opiniones atque doctrinam hujus illiusve cum alterius dogmatibus conferunt.

Quandoquidem autem vera certaq; mens, antiquorum præcipue ſcriptorum, ſæpe non recte poteſt indagari, multo minus aperte proponi, niſi in ſubſidium vocata Critica; propterea quoq; non leviter illa inſtructum eſſe oportet, qui aliorum genuinis ſententiis exponendis animum appellit. Et vero talem Criticum agere ut non eſt cujusvis, ita quam maxime præclarum. Scilicet ubi aliorum librorum adminicula non ſuppetunt, nec tamen ſenſus commodus & proprius poteſt erui; nullum aliud ſupereſt remedium, niſi ex ſagaci conjectura petendum. Ad quam penitus inepti ſunt ab ἀγχινοίᾳ, Ariſtoteli tantopere commendata, deſtituti. Qua proinde quum omnes non valeant, non mirum etiam eſt, nonnullorum divinationes & explicationes aliquando vanas vel alienas eſſe. Huc autem non minus pertinet etiam attendere, anne vox quædam mutanda ſit, an facta vocum vel periodorum tranſpoſitio, an etiam præterea lacuna quædam vitio longi ævi contracta deliteſcat. Et vero hoc quam maxime videre eſt in illis, qui Ariſtotelis opera tractaverunt. Quod enim de mendis vix quisquam vel cogitaviſſe videatur, factum eſt, ut multi miris modis ſeſe maceraverint, tantummodo ut ſenſum deficientem poſſent explere: quum tamen longe aliis morbis ea laborent. Idquod in *Politicorum* ejus opere citra exemplum luculenter oſtendit ampliſſimus Conringius noſter.

Ad *tertium* genus ſpectare jam dixi, qui voces aut phraſes ſcriptorum per occaſionem oblatas emendaverunt. Sive id factum propter eorum verum ſenſum eruendum, ſive in-

de exempla petantur, ſive alia de cauſſa in eorum mentionem forte inciderint.

Facile vero hinc patet, (id quod jam ſupra diſerte monui,) pag. 69. & 70. veram Criticam circa nullam non cujuscunque bonæ eruditionis partem nullumque non ſcriptorum genus occupari, utut ex vulgari hodierno uſu philologicis duntaxat ſtudiis ea ſoleat accenſeri.

CAPUT XXIX.

Epicriſi facta nonullis ſub initium conſtitutis hujus argumenti ſcriptorum generibus ſuum pretium tribuitur.

TAnta igitur copia tantaque varietas eſt ad univerſum hoc argumentum quoquo modo pertinentium ſcriptorum. Quod quidem, ſi ſingulæ ſpecies in ſeſe ſpectantur, infinitæ eſt amplitudinis, & ad quod perpetuo fieri poſſit immo faciunda ſit nova acceſſio: perinde ut artibus ac ſcientiis numquam non aliquid poteſt addi. Quandoquidem tamen eorum certi quidam ſunt gradus, juxta diverſos modos quos in ejus tractatione quilibet obſervaverunt, ſecundum quos etiam in certas quasdam claſſes ſunt diſtributi: reſtat quoq; ut jam definiatur, quodnam pretium ſingulis generibus graduum iſtorum ratione competat. Tametſi enim nullis non ſua laus debetur, tamen æqualis cunctis nequit imperti-ri, nec citra vel ultra meritum aliis juſto plus aliis minus dando nulli ſuum tribuatur. Id quod ad fructum, quem omnis hæc tractatio intendit, eo certius percipiendum apprime conducit.

Et quidem nemo non videt, maximam laudem iis deberi, qui Vitas virorum eruditione illuſtrium accurate deſcripſerunt. Reliquorum ratio eſt diſpar, prout videlicet majori minorive diligentia in hoc negotio ſunt verſati. Omnium

mnium vero infimi fuerint, qui præter nomina ſcriptorum vel alias doctorum virorum vix quicquam annotaverunt; niſi temporis, quo unusquisque vixit, ſimul habuerint rationem.

Præterea de iis, qui vel ſola nomina doctorum virorum memoraverunt, vel ætates eorum annotaverunt, vel nudos catalogos librorum congeſſerunt, notandum; inde nequaquam diſci, quinam ſcriptorum operæ precium præſtiterint, vel minus: quique laude digni ſint, quorumque doctrina & induſtria commendationem vere mereantur; vel à quibus nihil parumve boni & egregii ſit profectum, quique ſine juſta cauſſa turbas dederint, aut nova dogmata excogitaverint. Hoc ipſum autem noviſſe, permultum ſane intereſt in eorum ſcriptis verſaturo. Quod ſi enim *primum* quis ob initio ſtatim in pejores magiſtros inciderit, ſæpe perquam difficile eſt, opiniones principio imbibitas rurſus miſſas facere. Quæ infelicitas *deinde* plurimum augetur, ſi vivi magiſtri deſint, rectiora edocti aut alias pervidentes atque monſtrantes. Item *tertio*, ſi quis ipſemet ea ingenii felicitate non ſit prædituſ, ut juſtum κρίσιν agere, ac verum à falſo, ſanasque ſententias ab erroneis poſſit diſcernere. Id quod *quarto* difficilius inſuper eſt, ſi aliorum ſcriptorum, qui tamen omnino conſuli debebant copia nequit haberi. Quæ omnia *quinto* multo magis adhuc impedita redduntur, ſi ſcientiæ & argumenti, quod quis aut jam verſat aut aggreditur, magna fuerit amplitudo vel difficultas, & complures jam idem tractaverint, idque grandibus voluminibus; vel etiam ita, ut probationum ab illis allatarum examen haud exiguum temporis ſpatium laboremque & attentionem requirat; vel ſi ſpecioſe ſua tradiderint, veritatemque fuco quaſi facto incruſtaverint.

Scilicet plurimam lucem affert, inprimis illi, qui vel

omnia pro dignitate non poteſt expendere, vel cui facultas & otium ad id non ſufficit, videre tamen quaſi uno intuitu exhibitos, ſi non omnes, ſaltem præcipuos, qui hoc illudve argumentum jam tractaverunt. Id quod majorem certioremque adhuc habet utilitatem, ſi cujus vel omnes vel potiores ſint pretii ſimul fuerit indicatum. Ita quippe quid quisque præſtiterit, quomodoque ſe geſſerit, ſummatim nullo negotio cognoſci, adeoque ſcriptorum delectus inſtitui poteſt. Et vero nonnunquam uno alterove verbo juſta ſententia, ut de aliis omnibus rebus, ita de ſcriptoribus quoque, commode poteſt ferri: tantummodo ab intelligenti, & earum rerum probe gnaro, nullisque affectibus præpedito homine judicium proficiſcatur. Quod omne, ſecundum præſertim tertiumque, neceſſarium requiſitum quum in compluribus etiam alias ingenio valentibus deſideretur, non mirum quoque eſt, non ſiniſtra duntaxat ſæpius judicia de iis ferri, qui de meliori nota commendandi erant, ſed haud raro quoque plane contraria: prout videlicet vel uterque vel alteruter defectus cenſorem occupaverit. Præcipue vero nunquam recte aliorum labores æſtimabit, quem in adverſum animi impetus trahit. Unde ſane fit, ut dum ſcriptor quispiam nunc laudatur ab his, nunc ab illis culpatur, legentium animi miris modis diſtrahantur; quibus accedant, penitus dubii: præſertim ſi ipſimet momenta rei perſpicere, atque de cenſorum vel ſcientia inſcitiave vel voluntate judicium facere nequeunt.

Porro qui juxta litterarum ſeriem ſcriptores enumerant, longe inferiores ſunt iis, qui temporis rationem habuerunt. Scilicet ex alphabetica illa tradendi ratione, niſi ſimul adſcriptæ fuerint ætates, nequaquam diſci poteſt, an quis ante complura ſæcula an nuper demum vixerit: atque ita ſæpenumero fieri poteſt, ut quis, alias præſertim minus

eruditus,

eruditus, antiquum pro recentiori, & è contrario laudet, præcipue ſi quædam vel nominis vel argumenti vel inſcriptionis fuerit affinitas.

Sicut autem alias ingenio liberali valde indignum eſt ignorare, quid ante ſe ſit geſtum: ſic etiam in omnibus artibus ac ſcientiis perquam turpe, doctrinas priſcas à recentioribus non poſſe diſcernere. Quod ſi vero quis exactam temporum habuerit rationem, & ſimul attenderit, quid à celebriori quoque docto viro ſit præſtitum, quid uberius excultum, quid impugnatum, quid aſſertum; eo ipſo univerſam fortunam & ſtatum uniuscujusque diſciplinæ ſimul habebit perſpectum. Quod ipſum quam præclarum ſit quantique commodi, tum prudentior quisque facile æſtimaverit, tum optime noverunt experti. Quantum videlicet clara lux ab obſcura vel ipſis tenebris, tantum differt accurata cognitio à rudi & plane confuſa. Qualis magnam partem eſt notitia cujuscunque ſcientiæ, cujus origo & progreſſus, incrementa item & decrementa, omnesque adeo mutationes ignorantur.

Quod ipſum tamen quando commendo, de iis duntaxat ſermonem facio, quibus accuratior doctrina cordi eſt. Nam qui ſtudia ſua præcipitant, tantum addidiciſſe contenti, quantum ad panem quærendum ſuumque quem intendunt finem ſufficit, mihi non aſſentientur, nec de iis quidquam ero ſolicitus. Ut enim vulgaria & eximia ingenia plurimum differunt: ita qui ad accuratam doctrinam contendunt, non eandem viam decurrunt cum iis, qui ſtatim ad finem vix facto principio properant Valde diſpar ratio eſt eorum, qui ſtudiorum ſuorum tractationem inviti contrahere coguntur. Ut enim eorum conatui neceſſitas modum ponit, ita numquam iis deeſt animus ulterius proficiendi.

Poſtre-

Poſtremo ſicut qui juxta temporum ſeriem doctrina claros viros annotaverunt iſthoc nomine præferendi ſunt alphabeticum duntaxat ordinem ſecutis: ſic ſcriptores catalogorum utriusque iſtis rurſus anteponendi, quod hi libros à ſingulis ſcriptos indicent, quorum nihil quidquam ex alteris illis poteſt addiſci. Parum vero prodeſt noviſſe, quando quilibet vixerit, quodque vitæ genus coluerit, niſi præterea conſtet, quid quantumque præſtiterit, quæ item ingenii ſui monumenta reliquerit.

Nullum igitur eſt dubium, quin ad plenam illuſtrium doctrina virorum notitiam requiratur, ut tum ætates, tum vitas, tum doctrinas, tum libros ab iis ſcriptos, tum illud denique, quidnam operæ precium præſtiterint vel minus, quis habeat perſpectum. Dico: ad plenam notitiam iſthæc omnia exigi. Nam initio & maxime quidem ſufficit libros eorum, præcipue ſi commendati quorumque ductum atque doctrinam quis ſequatur digni fuerint, habere cognitos. Hoc quippe ad cujuscunque generis bonam eruditionem acquirendam inprimis neceſſarium eſt, quum reliqua potius ad ejusdem partim elegantiam partim perfectionem faciant.

HEN-

HENRICI MEIBOMII

ADDITAMENTA

& in illa

PRÆFATIO.

CUm VOGLERIANI hujus libelli, elegantis & valde utilis, exemplaria intra hos viginri annos essent distracta, novaque editio valde desideraretur, & Typographus noster, eam moliturus, me aliquoties de augmento aliquo interpellaret, partim â concatenatis laboribus meis excusationem petii, partim non adeo necessarium illud esse, ostendere annisus fui. Neque enim notitiam cujuscunque generis bonorum Scriptorum VOGLERUS dare, sed Introductionem tantum universalem in hujusmodi notitiam voluit, quæ omnibus numeris absoluta esse nequit. Quin etiam ipse VOGLERUS non omnes se, qui hoc argumentum illustrarunt, nominatim laudare voluisse scribit; ut inutilis & supervacaneæ diligentiæ accusari possim, si quæ ipse noluerit addi, ego post ejus mortem adjiciam. Præterea ab eo tem-

pore, quo hic libellus prodiit, Notitia illa Scriptorum gustus magis publici esse cœpit, variique ad eam pertinentes libri editi sunt, celeberrimusque *Morhofius*, eruditi orbis & amicitiæ nostræ decus, libri primi Polyhistoris sui litterarii omnibus pene capitibus argumentum illud doctissimè persecutus est; nec minus eruditus *Bailletus*, Lamonianæ Bibliothecæ Præfectus, in illis Tomis Judiciorum de Viris Doctis, qui hactenus prodierunt, plurima huc facientia ex aliis collegit, & de suo non pauca adjecit: & curiosissimus *Antonius Taisserius*, Catalogum Auctorum, qui librorum catalogos, indices, bibliothecas, virorum litteratorum elogia, vitasque consignarunt, ordine alphabetico digestum cum plurimis indicibus ante quinquennium edidit, opere *Labbæi* Bibliotheca Bibliothecarum longe ampliore, &, quod imprimis laudandum, minus in optimos eruditissimosque viros iniquo. Ut tantò magis nunc supersedere opera illa posse videar & quilibet ex his adjicere quædam in suos usus sibi possit.

Vicit tamen amici typographi continuata flagitatio, & fuerunt etiam aliæ augmentandi Opusculi rationes: cumque non nisi Additamenta quædam poscerentur, ea extemporaneâ operâ, inter varia impedimenta, subcisivis horis adjeci; qualem quidem illam haberi, nec majoris æstimari, omninò velim.

Quod si voti res esset, optarem, ut in hunc usque diem vivere, & additamenta dare licuisset ipsi VOGLERO Græcè Latinèque doctissimo, & antecessorum suorum in Professione Medica hujus illustris Academiæ Juliæ, *Henningi Arnisæi, Johannis Wolfii, Gotfridi Vogleri, Johannis Henrici Meibomii, Hermanni Conringii*, χαριεστάτων ἰατρῶν exemplo, omnis ἐγκυκλοπαιδείας peritissimo viro, & omnis bonæ eruditionis, ut intelligenti, ita propagatori studiosissimo. Sed ille quidem anno hujus seculi LXXVII, ætatis quinquagesimo quinto, laboriosam vitam placida morte clausit, memoriam vero eruditionis non vulgaris, cùm scriptis quibusdam Medicis & Physicis, tùm hoc ipso libello, doctis reliquit. Simulac autem ille publici juris factus, cum plausu intelligentium exceptus, ut ex litteris de eo scriptis constat, & in varias eruditi orbis oras transmissus est, & Vir doctissimus, & litterariæ historiæ omnis peritissimus, modo etiam à me laudatus, *Taisserius* in suo catalogo, quamvis illum inter Auctores ipsos commemorare oblitus sit, tamen eum legit, & alicubi citat, & alibi ipsissimis VOGLERI verbis, ut p. 7. ubi de *Bucholzeris*, & p. 54. ubi de *Heidmanno*, & p. 266. ubi de *Lindenbergio* agit, utitur.

Non igitur sine utilitate publica hunc libellum recudi, firmiter persvasus sum, nec male me mereri

de VOGLERO arbitror, quem à prima juventute variæ eruditionis nomine æstimavi, & pluribus deinde annis collegam amicissimum habui.

Videor verò etiam operæ pretium facturus, si, qvamvis VOGLERUS jam tum non pauca sit præfatus, nonnulla de elegantia, usu & necessitate hujus studii præmittam, illius imprimis, quod in historia vitæ cujuscunque Scriptoris cognoscenda occupatur. Equidem, uti in universum pueri censendi sunt, qvi, qvid ante se natos factum sit, nesciunt: ita viro docto indignum est, nescire, per qvem ea studia, quibus se addixit, vel exculta antehac sint, vel nunc excolantur, & qvinam sint illi, qvi id faciant, vel qvomodo faciant: hac præsertim eruditi orbis facie, qva non libri amplius manu scribuntur tantum, & vel in Principum vel Monasteriorum bibliothecas reconduntur, aut inter paucos venduntur, ut olim, sed scripta in mille dein exemplaria typorum beneficio diffunduntur. In ruborem certè nos dant prisci illi, qui tam sollicitè in Bibliothecarum recessibus latitantia scripta annotarunt, supinamq; negligentiam multis nostrorum jure exprobrant. Neque enim nostro seculo ita blandiri debemus, ut, in tanta qvamvis luce, tot patentibus publicis bibliothecis, tot extantibus in qvalibet urbe bibliopoliis, commerciis litterariis ubique liberis, dissimi-

dissimulemus, reperiri nihilominus quosdam ita supinè negligentes, & omnis litterariæ historiæ non imperitos tantum, sed fastidiosos contemptores & superciliosos damnatores, ut ante aliqvot te secula vivere & inter barbaros versari, si cum illis res tibi sit, credas. *Ammianus Marcellinus*, dum historiæ suæ lib. XXX. c. IV. gravem illam, & prudentem & lectu dignissimam digressionem de Advocatis & Caussidicis sub Valente & Valentiniano facit, *eorum nonnullos* tam rudes reperiri scribit, *ut nunquam se codices habuisse meminerint, &, si in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piscis aut edulii peregrinum vocabulum esse arbitrentur.* Sed nec fortassis nostro seculo in illo hominum genere ita difficile fuerit reperire nonnullos, quibus superioris seculi JCti, *Cujacii*, *Budæi*, *Tiraquelli*, *Donelli*, aliorumque nomina, juxta cum libris incognita sint. Certè in Medicorum ordine reperias, qui præter unum aut alterum Auctorem, ad quem, in ætatis & judicii imbecillitate, tanquam ad scopulum, adhæserunt, vix aliquem norint, de priscis certè neminem, &, si forte de *Hippocrate* & *Galeno* & *Avicenna* audiverint, an Græcè tamen an Arabicè, an Latinè scripserint, & quis illorum, multo minus quid, & quo tempore, & quibus in locis, nesciant, *Celsum* vero, *Aëtium*, *Paullum Æginetam*, *Alexandrum Trallianum*, *Cælium Aurelianum* si nominari percepe-

rint, aves ex India allatas ignotis nominibus recensitas, existiment. Neque pudet erroris eos sui, sed hoc compendiosè eruditi seculi nostri privilegium esse putant, ultra illud non sapere, nihilque priscæ eruditionis scire. Verùm melius est, ab illa scabie abstinere ungues, & suo judicio relinquere, qui in hujus ætatis, qua tam parabilis est bona eruditio, perpetuum opprobrium nati videntur. Cum tamen quidam solemnem illam cantilenam (quamvis omnium indoctorum & barbarorum ea sit) occinant, non facere hæc πρὸς τὰ ἄλφιτα, ostendam nunc, Notitiam Scriptorum, illam scilicet primariam, quæ circa ætatem, patriam, vitæ genus, mores, peritiam, famam, omnem deniq; vitam versatur, quæque ingenuinitatem librorum inquirit, ita esse comparatam, ut sine ea cum fructu evolvi Scriptores nequeant, nullusque eâ, sive Theologus, sive JCtus, sive Medicus, sive Philosophus, qui quidem nominum illorum justum ambitum implere velit, carere queat. Quamvis enim in veritatis inquisitione spectandum potius sit, quid dicatur, quam quis dicat, & præjudicatam Doctorum auctoritatem vim veritati fecisse, nimis multis exemplis abunde constet: licet etiam interdum liber, de cujus autore non constat, vel Anonymus, vel Pseudonymus, docere nos idoneus sit, recteque moneat *Salvianus Massiliensis* præf. in libr. contr. avarit. *profectum magis quæri lectionis* debere, *quàm nomen Auctoris,*

ris, & si profectus est in lectione, & habet, quisquis ille est, quod potest instruere lecturos, superfluam esse sollicitudinem *de vocabulo, quod juvare non poßit curiosos.* Interim tamen fidem scriptorum elevari, si sine nomine sint (nisi de illorum præstantia, etsi nomen ipsum ignotum, pleraque cognita sint, ut in multis usu venit) certissimum est, unde *Svetonius* in vita Caligulæ c. 6. versiculorum quos adducit, fidem elevari scribit *eò facilius, quod sine auctore sint.* Et vero in omni omnino disciplina, artibus & scientiis, testimonio humano sæpissimè niti cogimur, cujus tamen auctoritas esse non potest, nisi illius, qui testimonium dat, cognita nobis sit aptitudo. Ipse igitur testis, ut in judicio, considerandus est, an in eo aliquid desideretur, an omni exceptione major sit, & quid in eo desideretur. Certe non minus in disciplinis veritatem, quam in judiciis, quærimus, ideoque nec hîc sine accuratiori scrutinio admittendus testis est, & quantum fieri potest examinandus: non levi aliàs errore, & quidem in pluribus disciplinis vulgari, ut nubes testium adducatur, quorum singuli examinati, nihil vel propter ævum quo vixerunt, vel aliarum conditionum defectu, probare idonei sunt. Id quod circa Historicos à plerisque notari solet; circa omnem vero rem, quæ à testimonio humano pendet, in qvacunque disciplina non minus accuratè observari debet. Scilicet, in universum duo de Auctore aliquo prænosci debent, ut

ut primò ea, quæ tradit, ſcire potuerit & ſciverit, deinde ut ea voluerit rectè tradere, uti ſcivit. Multa igitur hic requiruntur, ut ſcilicet, quomodo Autor ad illam cognitionem acquirendam ſeſe habuerit, an ἀυτόπτης fuerit, an ex aliis acceperit, quibus mediis uſus, qua diligentia, an deceptioni facile obnoxius, ſciamus; deinde, quibus moribus præditus, an ingenuus, candidus, probus & veritatis ſtudioſus, an vero venalem mentem calamumq; habeat, an affectibus obnoxius fuerit, an ſcribere ipſi omnia libere licuerit, an cenſuræ ſubjectus, & quæ hujus generis longe plurima ſunt; non rectius, quàm exemplis bonorum & malorum omnis ævi Scriptorum declaranda, ſi id nunc agerem. Mihi vero ſufficit, ex his liquere, quod ad Auctorem approbandum vel reprobandum vitæ ejus accuratior cognitio, neceſſaria ſit, & proinde hæc de qua agimus, Notitia uſum inſignem habeat. Neque enim objici poteſt, ex illa ipſa notitia naſci præjudicia circa auctores, quæ non merentibus contemptum vel applauſum concilient, qualia ab ætate, patria, titulis & conditione vitæ ſæpe oriri, egregiè oſtendit antea laudatus *Bailletus* tomo I. librorum ſuorum: hæc enim ipſa præjudicia abolentur, ſi recte inquiſitio in vitam Auctoris fiat.

Fuerit vero fortaſſis operæ pretium hæc ſigillatim in pleriſque diſciplinis oſtendere. Neque enim in ipſa Theologia, cum ſacris libris rerum divinarum

ſapien-

ſapientia comprehenſa ſit, progredi rectè licet ſine ſacrorum illorum Scriptorum, quos habemus, notitia, ut ſciamus, eos, qui nobis revelata tradiderunt, eſſe tales, quibus tuto credere poſſimus, qui ſciverint, quæ tradiderunt, nec decipere nos voluerint. Quam in rem, præter varios priſci recentisq; ævi Theologos, imprimis legere licet duos eruditiſſimos viros, *Hugonem Grotium* in lib. de veritate relig. Chriſt. & *Petrum Danielem Huetium* in demonſtrat. Evangelica. Et cum ad Theologiam tota Eccleſiæ hiſtoria pertineat, ut illius veritas pateat, Scriptorum notitia, non minus ac in omni alia hiſtoria, neceſſaria eſt. Ne de conſenſu priſcæ Eccleſiæ nunc dicam, quam cum ex quibusvis, ſententiæ ſuæ faventibus, Scriptoribus corradant nonnulli, ex paucis vero genuinis deducant alii, facile apparet, quam hîc neceſſarium ſit ſolidum de Auctoris, qui in teſtimoniū adducitur, aptitudine, judicium. Unde eſt, quod multi præclari Theologi in hac notitia occupati, libris eam tradiderunt, & ſuos Auctores genuinos contra ſecus ſentientes defenderunt.

Apud Juriſconſultos Juris hiſtoria ſcribentium auctoritate nititur, ideoque parem cum aliis hiſtoriis rationem habet; quanta igitur hujus eſt utilitas, tanta etiam hujus notitiæ ſuo modo eſt. Præterea, conſuetudines & ſtatuta locorum noſſe, & quid in his illisve judiciis judicatum ſit, uti præclariſſimum eſt, ita referentium auctoritate nititur, de quibus proinde co-

gnitum esse debet, an scire ea, quæ tradunt, potuerint, & an fallere noluerint; manifesto Notitiæ hujus necessitatis argumento. Quam etiam ostendunt tot quotidie errores non ridiculi tantum, sed noxii quoque, dum scilicet in Germaniæ nostræ foris ad probandum, id quod in praxi obtinet, promiscuè adducuntur Hispani, Galli, Itali, quod sine dubio non fieret, si de patria Auctorum, & quibus in locis vixissent, constitisset. Cumque nonnulli multum se lucrari causæ suæ in foro existiment, si consensum Doctorum pro ea adduxerint, scire utique debent, quales illi sint, & an usu rerum & peritia juris valuerint, eaque auctoritate præditi, ut inter probatos Doctores jure suo referri mereantur: nisi forte sine omni judicio turbam aliquam congerere velint, (quod aliquibus solemne) sine ullo examine, ut causam, patrocinio egentem

Defendat numerus, junctæq; umbone phalanges.

Tam multa igitur etiam de JCtis, & Juris Interpretibus tradita, vitasque eorum luculente expositas habemus, ut ex VOGLERIANO hoc libello patet.

Medica vero Ars, (ut & Philosophia Naturalis, de qua mox dicendum) cum principia ejus per experientiam constitui debeant, nullo modo carere hac Notitia Autorum potest. Alia enim experientia propria est, alia aliena, & propria quidem certior, altera tamen non minus necessaria, imo priore longè

magis

magis diffusa, illiusque confirmatrix est. Quamvis enim nonnullos esse sciam, qui propriam ubique experientiam crepent, & non ad veterum tantum sed recentiorum quoque scripta nauseent, suisque non alienis niti opibus velint, tamen, quàm se hîc confidentia illorum & jactabunda superbia turpiter det, cuilibet serio rem expendenti statim manifestum fit. Primò enim, quod non omnia nos ipsi sensibus nostris circa morborum historiam & eventus, medicamentorumque operationem habere possimus, sed ea vel ab ipsis ægris vel ab astantibus accipere, illorumque fide in observata nostra referre cogamur, certissimum est: deinde in tanta rerum Medicarum varietate, vita brevi, arte vero longa, non est possibile, ut unus aliquis plurima, ne dum omnia observet, & male ageretur cum Tyronibus, qui artem facere inciperent, pejus cum ægris, qui illis salutem suam crederent, si nihil nisi propria experientia discere liceret. Sunt deinde Epidemicorum & Endemiorum morborum maximæ varietates, & inter morbos multi rari, symptomata quorundam & eventus rarissimi, *rerumq; novatrix ex aliis alias reparat natura figuras*: quibus observandis operam dare non in cujusvis arbitrio est, ideoque, si quis nihil credere aliis velit, hanc suæ diffidentiæ & præsumptionis incurrit pænam, ut plurima circa morbos scitu necessaria ignorare, & sub lentis maxillis mandere cogatur.

Quod ſi tamen rectè, ex illorum hominum moribus & ſcriptis conjecturam feci, non planè alienam experientiam negligunt, quin libros aliorū furtim ſublegunt, ſermones vero ejusmodi arrogantes ea tantum de cauſa habent, ut aliorum obſervata, quæ ſuis non favent præjudiciis, rejicere, ea vero tantum, quæ ad ſtabiliendas novas ſuas opiniones faciunt, tanquam à ſe obſervata proponere, majori auctoritate poſſint. Quare nec Auctorem ullum temere allegant, ne ex aliis ſapere videantur, nec credere iis, quæ ſcripta ſunt, volunt, ſed omnia proprio quaſi Marte experiri. Neſciunt autem, quàm in ſeipſos ſint injurii. Si enim nullis ſcribentibus fides habenda, cur ſua ſcripta nullo privilegio extra hujus diffidentiæ aleam apud coævos poſterosq; locata, publicant? Non autem hæc diſputo, ut Medicos ſub aliena umbra latere, nunquam auctores, ſemper interpretes, velim: nec, ut pro veris omnia haberi poſtulem, quæ à ſeſe obſervata eſſe, Medici in ſcriptis ſuis teſtantur, cum non minus noxium ſit, omnia aliis credere, quàm nihil omnino: hoc tantum oſtendere volui, maximè neceſſariam eſſe in Medica Arte Notitiam Scriptorum, cum nulli facilius credatur, quàm Medicum ſe profitenti, plurimi verò ſint λόγῳ, non ἔργῳ ἰατροὶ, & *qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrent viam.* Noſtro imprimis ſeculo, quo ſacram artem invadunt agyrtæ, mimi, cinifloncs, Judæi, quorum nonnulli, poſtquam plebem, &

incau-

incautiores alios jactabundis vocibus aliquamdiu deceperunt, editis quoque libris fallere, & quæ nunquam viderunt, observaruntque, tanquam probè sibi comperta tradere pergunt. Utque inter illos, sub quorum nomine libri Anatomici extant, nonnullos reperire licet, qui vix unum alterumvè cadaver, idque etiam perfunctorie secuerunt, observationes tamen ab aliis acceptas, si thesi suæ serviant, tanquam suas publicant: ita frequentius, & majori in salutem hominum damno, curandorum morborum doctrinam nonnulli tradunt, & tam magnificè de suis in arte Medica operibus loqvuntur, ac si, cum illo apud Comicum, *crus fractum obligarint Æsculapio, Apollini vero brachium*, cum tamen nihil minus eos, quàm artem fecisse, nullumq; ejus usum habuisse, constet. Quis non igitur in illa fraudum obviarum frequentia, de Auctore, quem sequi, cuique fidere, in curando corpore humano velit, informari prius cupiat? Neque vero pauca illa sunt, quæ scire de eo par est. An scilicet in dignotione morborum satis accuratus sit, & morbos recte distinguat, nec cum illo imperito chirurgo centum se cancros medicamentis suis curasse asseveret, quævis sordida & inæqualia ulcera ratus esse cancrosa? An illorum, de quibus commentatur, morborum usum aliquem insignem habuerit, aut habere non potuerit, ut si de scorbuto aut plica polonica Italus commentetur? An deniq; Auctor

libri ſit fide dignus, moribus & probitate eminens, qui procul ambitione, ſincerè & absque dolo ſcribere, & nihil reticere ad rem faciens, voluerit? Sanè veteres ita diligentes in dignoſcendis *Hippocratis* & *Galeni* libris γνησίοις à ſpuriis videmus fuiſſe, ut ad parem curioſitatem ſuperioris ſeculi, & noſtri Medicos nonnullos Criticosque excitarint: laudabili ſanè ſtudio, ſi non tam, ut de ſententiis illorum & opinionibus, quàm de obſervationibus ad artem pertinentibus tam celebrium & accuratorum virorum certi eſſent, id egerunt. Unde nec ἀνωνύμοις credere tuto poſſumus: nec illis, qui remedia, ab aliis quoquo modo, nec integrè, accepta orbi obtrudunt, cum de fide Auctorum non conſtet, quæ in re tanti momenti certa inprimis eſſe debet. Quod ſi jam acquirere quis ſibi Medicorum Autorum notitiam velit, non ſanè illa anguſtis, ſed latiſſimis terminis propter multitudinem eorum definita eſt. Quamvis enim fortaſſis aliud non paucis hujus ſeculi placeat, ut uno alterove contenti auctore reliquorū ſecuri ſint, & priſcorum ſuperiorisve ævi omnium Medicorum, quoniam ſcilicet ratiocinationes eorum cum ſuis cogitatis vel hypotheſibus non conveniunt, etiam obſervationes ſuperciliosè contemnant; tamen ego ſemper credidi, debere Medicum noſſe, quæcunq; ab omni ævo, in cultiſſimis terrarum locis, â præſtantibus Medicis circa morborum hiſtoriam, morem,

motum, ſolutionem, curationem, medicamentorum & auxiliorum Medicorum virtutes & utilitatem, noxamque, cum in univerſum, tum in certis morbis obſervata, & longo uſu deprehenſa ſunt: hos enim demum eſſe excellentes Medicos & πεπαιδευμένυς, ut Ariſt. in Politicis appellat, illa qui norint, & in uſum tranſtulerint, & hoc præ aliis decere eos, qui in Academiis publico munere funguntur, aliosq; docere debent. Illa enim experientia, quamvis non propria ſed aliena, ſi auctoritate nitatur Medicorum omnis ævi, omniumque gentium, falli neſcia eſt, cum, ut omnes omnino, iique viri diligentes, à tot ſeculis & tot inter nationes in rebus ipſis ſenſibus non ita difficulter obſervabilibus decipi potuerint, ἕν ſit τῶν ἀδυνάτων. Unde etiam ſequitur, longè rectius eos facere, majoremq; famæ ſuæ & conſcientiæ rationem habere, qui in morbis medicamenta longo uſu probata adhibent, quàm qui ad quævis uſitata nauſeantes, illud potius amant, & ad illud advolant, quod χθὲς ἢ πρώην natum, & ξενοπρεπὲς, ut cum *Hippocrate* loquar, & paucis adhuc iisq; incertis & inſufficientibus experimentis cognitum eſt, eoq; ſtatim in corpore humano uti non verentur, quaſi in eo formando ac reformando, non ſecus ac circa calceum aut veſtem ſutori ſartorique, ludere Medico liceat. Sanè, ſicut indicium veræ hiſtoriæ eſt, ſi de rebus iisdem omnes eadem & dicant, & ſcribant, εἰ περὶ τῶν αὐτῶν ἅπαν-
τες

τες πάντα καὶ λέγουσι καὶ γράφουσι, ut eſt apud *Ioſephum* lib. I. contr. Appion. ita de obſervationibus Medicis circa auxiliorum & medicamentorum uſum ſeſe res habet, ut tum demum certæ credantur, ſi omnium quaſi conſenſus eas approbaverit, & tum non minus fidere iis poſſis, quàm ſi tuis ſenſibus diligenter eas feceris, non ſecus, ac Cretam Siciliam aut Sardiniam inſulas eſſe admittimus, etiamſi nunquam ad eas navigaverimus, quoniam inter omnes, qui proprio intuitu conſpexerunt, ita eſſe convenit, ut *Galenus* l. de ſubfigur. Empiric. loquitur. Quæ tamen à me non dicuntur, ac ſi nullum novis circa auxilia Medica & medicamentorum in morbis uſum obſervationibus locum eſſe, aut iis tantum fidere, quæ antehac deprehenſa ſunt, velim: cumprimis enim Medicus ſui loci, ſuique temporis debet habere rationem, & quid corpora noſtra patiantur aut non, quibusque remediis noſtri morbi curentur, indagare; ſed temeritatem tantum quorundam & *καινοσπουδίαν* reprehendere & caſtigare volui, quibus nova quævis ſine ſufficienti uſu, dummodo nova ſint, placent. Aliàs enim hæc ipſa Auctorum notitia vel eo nomine commendanda eſt, ut patria cujuscunque & quibus in locis quis vixerit, cognitis, rectius judicare poſſimus, an de his illisve morbis Endemiis idoneus teſtis ſit, & an in auxiliorum Medicorum, quæ laudat, uſu propter climatis diverſitatem tuto fidere illi queamus. Sed

vereor,

vereor, debitò longius in hac, quam Medicis notitia Auctorum præstat, utilitate me detinuisse judicer.

In Philosophia vero non minorem usum præstat. Nam de Physicis quidem observationibus, ut & illis, quæ circa cælestia corpora eorumque motus fiunt, & Geographicis, eadem plane est ratio, estque hic aliena experientia non minus quam propria, imò alicubi magis, necessaria, & proinde etiam Auctorum, per quos experientiam illam habemus, notitia summè utilis, & necessaria. In Politicis, quin ad civilem prudentiam comparandam Historia necessaria sit, nullum dubium est, ostenderuntque id dudum viri præstantissimi: Erit igitur non minus necessarium, Notitiam habere illorum scriptorum, qui civiles nobis historias tradiderunt, & reipublicæ cujuslibet statum. Sicut autem jam tum de Ecclesiastica Historia, & deinde de Medica & Naturali, ita in universum nunc de omni historia dicendum est, cum auctoritate scribentium nitatur, non posse nos illi fidem habere, nisi Auctorum notitia præcedat, eaque, quantum licet, accurata. Jam tum verò supra dixi, ad Historici fidem pertinere, ut & potuerit scire ea, quæ scribit, & voluerit rectè & candide tradere posteris. Paucis multa *Seneca* dicit, dum Natur. quæst. l. 7. c. 16. ita loquitur: *Quidam creduli, quidam negligentes sunt, quibusdam mendacium obrepit, quibusdam placet, illi non evitant, hi appetunt.* An igitur

Historicus, ea quæ scribit, ipse viderit, an ab aliis audiverit, iisque fide dignis, & qui ipsi rebus gestis interfuerint (ut ad patrem suum Apronianum, qui Ciliciæ præfuerit, quique res omnes certo cognorit sibique singula recensuerit, *Dio* lib. *69.* rectè provocat) an justa usus diligentia, an necessaria subsidia habuerit, an vero ab ævo suo remota, inque longinquis regionibus acta, & dubia tantum fama percepta, narraverit? An veri studiosus, nihil gratiæ, nihil affectibus dederit, an, ut superioribus placeret, scripserit, & φιλιππίζειν, quod de oraculo Delphico Demosthenes quondam dixit, consueverit: an eo tempore scripserit, quo *nullum* amplius *mendacio pretium*, ut Tacitus loquitur, an de hostibus, an de amicis suis referat, an ordinis sui sit studiosus, ideoque in eum justo æquior, an in alios odio feratur, quod in illis advertere est, qui inter imperii & sacerdotii divisiones, inter religionum dissidia, ab hac vel illa parte scripserunt? An denique libri, ita ut scripti, editi sint, non mutilati, non accessionibus quibusdam aucti, non depravati, quod multis Historicis factum constat? Hæc, inquam, & plurima alia, præ nosse juvat, antequam plenum Historico assensum des, ideoque Auctorum, qui historias scripserunt, notitia valde utilis & necessaria est, omnibusque modis acquirenda. Plurimum enim hìc difficultatis subesse, & facillimè aliquem decipi posse, largior: cum præ-

sertim

ſertim pleriquè, non ſecus ac oratores, in procemio fidem ſibi conciliare ſoleant, veritatis amorem, diligentiam in ea inquirenda, ſubſidiorumque copiam, quamvis omnia illa aut pleraque abſint, jactantes. Interim tamen conſtans συγχρόνων de Hiſtorici alicujus fide conſenſus, eo tempore, quo ſciri omnia, verène ſcripta an falsò, potuerunt, maximi apud omnes cordatos momenti eſt. Cujus quidem illuſtre exemplum *Thuanus* eſſe poteſt, φιλαλήθεια ejus publicæ famæ judicio ſtatim approbata, & longè magis confirmata, quando eum in iis, quæ de Proteſtantium in Gallia rebus refert, nonnulli accuſare cæperunt. Quid enim majorem inveniat fidem, quàm quod pro innocentia ab eo narratur, qui aliam religionem profitetur? quid verò magis ejus ingenuum animum, & extra affectuum lubricum poſitum, addo infucatam, quæ mentiri neſcit, pietatem, invicto teſtimonio aſſerere poſſit, quàm quod in ipſa Gallia de exoſis vulgò hominibus & à ſe diſſidentibus vera potius ſcribere, quàm cum aliis Aularum, Regiæ Pontificiæque, ſententiis ſeſe ſubmittere & hiſtoriam ad illorum nutus formare voluerit? *Cum ſint præmia falſi nulla, ratam teſtis debet habere fidem.* Ubi in Epiſt. ad Brutum *Cicero* Glyconem excuſat, de nece Panſæ, id urget, quod ex ea calamitatem acceperit, ſitque homo tam modeſtus & frugi, ut ne utilitas quidem videatur impulſurum fuiſſe ad facinus; ita de *Thuano* quoque dici

poteſt, cum ex relata veritate non niſi damnum, hoc eſt, odium adverſæ partis habuiſſe, & fuiſſe virum adeo veritatis ſtudioſum, ut ne quidem, ſi lucrum propoſitum fuiſſet, latum ab ea unguem diſceſſiſſet, ideoque ſuſpectum falſi in relatione de Proteſtantibus haberi non poſſe, quique eum propter illam damnant, non niſi recti æquique amorem in eo damnare, quod quidem vituperium ſumma profecto laus eſt. Cum quo quidem *Thuano* ſi quosdam noſtri ſeculi Hiſtoricos, etiam in ipſo Galliæ regno, conferas, longè diſſimilimos fatearis, neceſſe eſt, ita ubique adulatio principis, obſequium aulæ, odium, malevolentia calamum venalem regunt, nec verentur ea toti orbi tanquam vera obtrudere, quæ quilibet ex plebe, in publico ſcilicet, aliquot millibus conſciis, geſta, refellere poſſit. Nomina eorum producere, cum mentiendi charactere notiſſimi ſint, opus non arbitror, ſpero tamen, uti apud hodie viventes fidem decoxerunt, ita illorum famam apud poſteros quoque laboraturam, annotaturosque hoc præſentes, ut ad venturos notitia perveniat. Quo vero difficilius eſt homini nato affectus exuere, & *quò rarius* aliquis veritatem prodit, *ubi ad conſilia, ad jura provinciarum, ad bellorum cauſas, ad privatam Principum vitam & multò maxime ad cauſam religionis ventum*, ut prudenter loquitur *M. Velſerus* apud *Bocclerum* ad Tacit. Hiſtor. l. 1. eò magis patet neceſſitas, inquirendi
in

in patriam, munia, religionem Historici. Patet etiam, cur adeo solliciti sint nonnulli viri præclari, de Anonymis & Pseudonymis Historicis detegendis, ut simul, quanta sit fides eorum, pateat. Ne id quidem prætereundum arbitror, in illis locis, in quibus sine censura liber non prodit, veritatis amantes deterreri à scribendo, qui autem prodeunt libri, non paucis sæpe in locis esse mutilatos & ad placitum superiorum compositos: procul illa felicitate, qua sentire, quæ velis, & quæ sentias, dicere & scribere liceat. De Heliogabalo, quod scribit *Lampridius*, rarum est, *eum coegisse scriptores nonnullos, nefanda imo potius non ferenda ejus dicta de luxuria disputare in ejus vita*: hodie enim potius coguntur laudanda solùm scribere: neque ut olim *veteris populi Romani prospera & adversa*, dicente Tacito, *claris scriptoribus memorantur*, sed sola prospera; ut panegyricas potius orationes, quam Historias legere te putes. Annon igitur, quâ quis in scribendo uti potuerit libertate, scire plurimum interest? Certe posthumi quoque libri, &, ut appellantur, ἀνέκδοτοι, ea de causâ æstimantur, quod in iis procul metu, majori παῤῥησίᾳ, verum exponatur. Sed nimis latus est campus, in quo versor: nec paucis exponi potest, cur in historia, Auctorum, qui eam condiderunt, notitia necessaria sit, tam clarum tamen id est, quàm solem meridie lucere.

Adderem aliquid de aliis Scriptoribus cujuscunque generis, qui Græci Latinique sermonis causa, sive Philosophiam tradant, sive ad Oratores & Poetas pertineant, leguntur, & illorum notitiam, quoad ætatem scilicet, patriam, & non pauca alia, quæ ad vitam pertinent, necessariam quoque esse ostenderem, nisi Criticorum opera circa eam occupatissima, dudum id persvasisset. Et verò postquam in certas quasi ætates eos qui Latine scripserunt curiositas distinxit (quod in Græcis etiam locum aliquo modo habet) plurimæ quoque varietates in diversis populis, eadem lingua utentibus, animadversæ sunt, facile patet, & ætatem & patriam scribentium debere esse cognitas: id quod proinde in illis, de quibus certi nihil constat, conjecturis à similitudine styli & aliunde ductis, assequi nituntur.

Quamvis igitur, ut jam concludam, Notitia Auctorum maximi suo merito æstimanda sit, & in omnibus disciplinis insignem habeat usum, imò valdè necessaria sit, ut per singulas eundo, clarè ostendi: negari tamen non potest, eos, qui tantum certarum quarundam regionum, provinciarum, civitatum, Academiarum, Pontificum, Cardinalium, Ordinum monasticorum Scriptores enarrarunt, non solam utilitatem illam publicam spectasse, sed gloriam quoque gentis suæ, suique ordinis: optimè nihilominus de

hoc

hoc ſtudio meritos, dum in illis occupati, quorum majorem & accuratiorem notitiam dare ob communem patriam ordinemqve potuerunt; dummodo non etiam privatus erga ſuos affectus à veritate tranſverſum eos egerit, à qvo vitio religioſorum ordinum viros quosdam non fuiſſe immunes, dudum viri clariſſimi *Naudæus* & *Lanojus* annotarunt. Qvi de doctis & propter libros editos celebribus Mulieribus egerunt, qviqve de Auctoribus inter ſanctos relatis, alias quoq; conſilii ſui rationes habuerunt. Laudanda tamen omnino in prioribus illis eſt induſtria, & Patriæ amor, vel ordinis ſui, qvi, uti alii viros belli gloria meritisque in rempubl. illuſtres ad patriæ ſuæ gloriam memorarunt, ita ipſi eorum memoriam, qvi de Ecclesiis & Scholis, ipſaque adeo Republica, ſcriptis ſuis optimè meriti fuerunt, intercidere pati noluerunt, & ad imitandum poſteris propoſuerunt. Ideoque etiam, qvi hoc ipſum egerint, memorare in hoc libello non neglexit VOGLERVS.

Huic autem, ut jam qvædam addam, ex promiſſo teneor; neqve tamen omnes & ſingulos, vel ex *Labbæo* vel *Taisſerio*, ordine alphabetico ab illis memoratos, eorumqve editiones, his claſſibus, à VOGLERO conſtitutis, apponam (qvod qvilibet nullo negotio facere, indicibus præſertim diligentium illorum virorum adjutus, poterit) ſed qvosdam tantum,

in

in Bibliotheca mea extantes, vel à me lectos & visos, ita adducam, ut simul, quid in hoc argumento præstiterint, explicare non negligam. Spero autem, hanc qvoqve operam meam non displicituram illis, qvibus studium ipsum placet. Placebit autem plurimis, si utilitatem, qvam supra exposui, expenderint: aut, si non omnia, qvæ Notitiam Scriptorum absolvunt, parem habere usum judicabunt, inter ea tamen studia locum illis relinqvent, qvæ ob elegantiam & jucunditatem præstantibus ingeniis sese approbant, & in nostri seculi decus magis magisqve indies adolescunt, utenturqve iis, ut somno & qvietibus cæteris, tùm, cum gravibus seriisqve satisfecerint, nec contemnent eos, qvi tempus, qvod alii ludis, commessationibusqve transigunt, similibus studiorum amænitatibus consumunt, seriaqve sua illis distinguunt. Id qvod non tam mei (cujus minimæ hîc partes sunt) qvam VOGLERI & hujus libelli causa præfari volui.

AD.



ADDITAMENTA.

P. 1. *primum diligenter.* Non sine causa monetur, Notitiæ hujus studiosum, curiosum esse, & omnia quæ vel legit, vel audit de Scriptoribus, annotare debere. Id verò etiam addendum est, commercia litteraria cum doctissimis in orbe Europæo, qui vel ipsi libros scribunt, vel illorum non incuriosi sunt (addo etiam, cum Bibliopolis & Typographis non ineruditis) instituenda illi esse, qui & librorum, qui jam publicati sunt, & qui editioni parantur, aut adfecti adhuc in scriniis eruditorum latent, notitiam habere velit. Quo commercio multa, quæ ad vitam Auctoris, ad subsidia, quæ habuit, & ad γνησίες Pseudonymorum & Anonymorum patres, & judicia viventium de libris editis pertinent, discet, alias incognita, cum liberius in familiaribus epistolis & ad amicos omnia referantur, & fuci & larvæ, quibus publicum decipitur, detegantur. Cujus quidem notitiæ per litteras eruditas quâ acquirendæ, quâ propagandæ, nemo, quod præfiscini dixerim, tota Europa studiosior est Illustri MAGLIABECHIO, qui cum in florentissima Italiæ urbe sedem habeat, nihil eorum ignorat, quæ in toto orbe inter eruditos, & ab illis, vel, sub extremo borea, aguntur. Dum enim summa humanitate aliis se impertit, quid non vicissim ab iis, quibus ejus aliquis sensus est, expectet? Et quis non cum illo sua libenter communicet, à quo sibi largissimo cum fænore paria reddi sciat? Ex illis igitur quoque eru-

ditorum epiſtolis, quæ vel ab ipſis viventibus, vel poſt mortem plerumque ab aliis editæ, non parum lucis, quamvis ab aliis magis, ab aliis minus, accipit hiſtoria litteraria. Ut mirer *Voglerum*, hujus ex Epiſtolis percipiendi fructus non meminiſſe, cum ſit plane inſignis. Equidem, non diſputo nunc, an de auctoribus, quorum epiſtolas publicant, benè ſemper mereantur editores, cum aliud ſit amicis ſcribere, aliud orbi erudito, & in epiſtola aliquando ſuam habeat gratiam, quod in publico lectum valdè diſpliceat. Neque eos defendo, qui nimis libera de Auctoribus judicia, & affectuum plena, imo injurioſas voculas ex hujusmodi epiſtolis non tollunt prius, quam eas edant, cum non minus peccet, qui aliorum male dicta publicat, quam qui primus ea pronunciat, imò plus peccet, cum prior in amici ſinum tantum ea effuderit, hic ad omnes, etiam poſt mortem lite quaſi renovata, pervenire faciat. Et hinc eſt, cur de editione litterarum *Joſ. Scaligeri ab Heinſio procurata*, propter ſocerum ſuum *Franciſcum Junium* conqueratur *Voſſius*. In nonnullis quidem epiſtolis omiſſa cernas doctorum virorum nomina, aut eos circum locutione quadam deſignatos, ex illis tamen, quæ relicta ſunt, non difficile eſt colligere, quis tangatur. Neque vero multum intereſt, nomine quis, an ſignis noſcatur? Trojani belli ſcriptor an Homerus vocetur? Salmaſius appelletur, an ita depingatur, ut à *Nic. Heinſio* in Epiſt. ad *Mareſium*, quæ n. 3. eſt? Imò non defuerunt, qui clavem talibus epiſtolis adjicerent, ne quis lateret. Interim de publico & hiſtoria litteraria non male meritos harum epiſtolorũ editores, licet interdum plus ſtudii quam judicii adhibuerint, negari nequit. Ut igitur quosdam, qui tales epiſtolas ſcripſerunt, hîc recenſeam, non videtur nullum operæ pretium futurum.

rum. Equidem tam tùm CL. *Morhofius* Polyhiſtoris ſui litterarii c. 24. multum Epiſtolas ad hiſtoriam litterariam conferre, ſcripſit, eleganti de plurimis Epiſtolographis inſtituta diſſertatione: multa tamen, ſui propoſiti tenax, à noſtro inſtituto planè diverſa conſiderat, & ſtylum quoque illorum & dictionem examinat. Ego vero tantum, qua parte Hiſtoriam Litterariam plurimi illuſtrant, eos ſpectabo, nec alios memorabo. In veterum quidem *Ciceronis*, *Plinii*, aliorumque, non multa hujus argumenti occurrunt, quæ tamen hic de avunculo ſuo *Plinio* majore pluribus narrat, huc pertinent, & videas eum alibi quoque de doctiſſimis ævi ſui ſcriptoribus judicare, quamvis plurimorum ſcripta ipſa perierint. Sic & in *Symmachi*, *Sidonii*, aliorumque epiſtolis alicubi, ſed rarius, huc quod faciat, occurrit. *Nicolai dè Clemangis*, qui ſeculi XV initio floruit, Epiſtolæ, cum ejus operibus editæ, quamvis alia multa egregie nos doceant, de illius tamen ævi ſcriptoribus, pauca: Lectu nihilominus digniſſima eſt Epiſtola 4. & 5. qua contra *Franciſcum Petrarcham*, qui extra Italiam oratores & poëtas non reperiri ſcripſerat, diſputat, Gallosque ſuos defendit. In *Petrarchæ* Epiſtolis etiam quod juvet, occurrit. At *Franciſci Philelphi*, qui ſeculo XV floruit, Epiſtolæ ſtatum litterarum, qualis illo ſeculo, refloreſcentibus in Italia ſtudiis, fuit, pluribus exponunt, licetque in iis non pauca reperire, de eruditis Conſtantinopoli profugis, deque codicibus Græcis inde allatis. *Ambroſii Abbatis Generalis Camaldulenſis* Epiſtolæ, hactenus ineditæ, ſervantur in Bibliotheca Illuſtris *Antonii Magliabechi*, & ab illius humanitate ſperant publicam lucem, quæ ſine dubio etiam plurimum argumento noſtro conferent, cum Latinè, Græcè & Hebraicè (quod illo ſeculo XV rarum)

doctiſſimus fuerit, & ex eleganti ejus Hodœporico nuper publicato jam tum non pauca diſcere liceat de ſtudiis & doctis viris ejus temporis, librisque in bibliothecis monaſteriorum latitantibus. Imprimis vero de ſuperioris & hujus ſeculi Doctorum virorum Epiſtolis agendum mihi, quoniam illæ hoc argumentum maxime illuſtrant, & non parvo numero lucem publicam jam viderunt. Latent tamen longè plurimæ, & partim apud hæredes imperitos tanquam Sibyllæ folia circumvolitant, pereuntque, partim in eruditorum ſcriniis ſervantur, quas ſæpius citatus CL. *Morhofius* c. 25. memorat, & propter varios uſus commendat: ceu dudum Bibliothecarii ſui c. VI. prolixè Epiſtolarum Archiva laudavit *Hottingerus*, qui maximum illarum numerum, Theologici imprimis argumenti, ſe poſſidere gloriatur. Quales etiam cùm Theologorum, tùm quorumvis doctorum eruditas litteras, numeroſo apparatu collegerat, vir optimus & longè doctiſſimus, nuper non ſine damno publicæ rei denatus, *Theophilus Spitzelius*. Plurimæ etiam tales in *Conringiana* bibliotheca ſuperſunt, cum viri illius maxima in litterato orbe fama eruditorum animos & amicitiam, per litteras fovendam, ipſi conciliaret: neque paucæ in meis ſcriniis ſunt, doctiſſimorum Europæ virorum, qui ſuperiori & noſtro ſeculo vixerunt. Verùm, cum ad has non omnibus detur aditus, de iis potiſſimum, quæ jam publicatæ & promiſcui uſus ſunt, imprimis dicendum eſt. Non tamen illæ omnes ad eandem claſſem pertinent, nec pari modo noſtram litterariam notitiam juvant. Quædam enim Philoſophicæ ſunt, aut Mathematicæ, ut *Marſilii Ficini*, *Kepleri*, *Tychonis Brahæi*, *Carteſii*: aut Politicæ, ut *Forſtneri*, & *Grotii* plures: aut Medicæ, ut *Manardi*,

Langii,

Langii, *Horstii*, *Fabricii*, pluriumque aliorum, in quibus rarius ea, quæ ad Auctores pertinent, memorantur, nisi inter Medicas *Job. Cratonis* & *Th. Bartholini*, quæque ad eos scriptæ & simul editæ sunt, excipias in quibus de vitis doctorum, de operibus eorum quædam & judicia quoque invenias. Quædam porro officiosæ tantum sunt, & magno quidem sermonis cultu scriptæ, & eatenus vel instruere vel delectare idoneæ, aliàs huic, de quo loquimur, argumento inutiles, nisi quatenus genium suorum Auctorum, probitatem, pietatem, aut contra, adulandi artes, superbiam, & contemptorem animum, intempestivum religionis zelum, miseriam quoque sæpe, & qua pressi fuerunt, paupertatem, & hinc venalem calamum prodant: quod multorum exemplis ostendi posset, nisi jam tum satis omnia nota essent. Parum igitur nos juvant *P. Bembi*, *P. Manutii*, *Longolii*, *Rubenii*, *Puteani*, *Crucii* & similium, elegantes licet epistolæ: Plus vero *Politiani*, *Jul. Cæs. Scaligeri*, *Gen. Sepulvedæ*, *Mureti*, *Lipsii*, *Wowerii*, *Baudii*, *Rycquii*, *Barlæi*, *Boxhornii*, *Naudæi*, *Salmasii*, *Vossii*: plurimum *Erasmi*, *Josephi Scaligeri*, *Casauboni*, *Grotii*: quò enim diffusior illorum eruditio, quoque major in orbe litterato auctoritas, & frequentior cum doctissimis amicitia, tanto plura ex illis discere, & judiciis illorum securius fidere licet. Quibus merito addimus *Caselii* nostri epistolas ad eruditos scriptas, quamvis plurimæ nondum lucem viderint, quædam etiam seorsim excusæ rarius nunc compareant, qualis est longa illa & præclarissima ad *Henningum Arnisæum* a. 1610 scripta, qua in Arte Medica præstantes viros & studiis sapientiæ claros, quorum amicitia usus, debitis cum præconiis enarrat. Pertinent huc illæ, quæ à *Reinesio* & ad illum scriptæ, à præclaris viris magno

cum fructu publico editæ, quia variam eruditionem & scriptorum quoque notitiam egregiè illustrant. In *Jacobi Bongarsiii* & *Georg. Mich. Lingelsheimii* Argentorati ante triginta annos junctim editis epistolis, reperiuntur etiam de scriptoribus quædam, sed in *Lingelshemianis* plura. *Velseri*, *Schichardi*, *Berneggeri* hoc quoque nomine, quamvis & aliis multis, merentur legi, inprimis *commercii Epistolaris Berneggeri* fasciculi, ante viginti annos Argentorati editi. In *Rolandi Maresii* epistolis non pauca occurrunt judicia de viris doctis, quæ in ipso judicium, acre & rectum fuisse ostendunt. *Gesneri* ingenium tamen vastamque eruditionem & judicii gravitatem cum incredibili industria & laboris patientia conjunctam non videtur suo pretio æstimasse, quamvis novissime dictarum gloriam ipsi non invideat. *Adamus Siberus* & *Augustus Buchnerus* in suis Epistolis plurima de doctis sui quisque seculi & eorum scriptis habent. *Octavii Ferrarii* pauciores sunt, non pauca tamen in iis invenias pro nostro scopo, ut & in prolusione XIII. quæ inscribitur, *litteratorum funus*. In *Jani Nicii Erythræi* epistolis de doctorum virorum, vita, obitu, & scriptis quædam recensentur. In *Claudii Sarravii* Latinis, & *Balsacii* Gallicis non sine jucunditate legas delicata de doctorum operibus judicia, & libera quoque. *Richteri* epistolas non parum juvare historiam litterariam, multaque bonæ frugis in iis contineri, rectè contra *Guidonem Patinum* asseruit Cl. *Morbosius*. Ipsius vero hujus *Patini* Gallicè scriptæ, nuper editæ, nostrum argumentum imprimis illustrant. Censura forte libera, & dictio mordax minus placet illis, quibus præstantissimi viri ingenium & mores incogniti. Eadem ille libertate, qua in sermone utebatur, ad amicos quoque scribebat, salibusque

busque & jocis, non quæsitis nec affectatis, ut illos, ita epistolas condiebat. Quod si inveniuntur quædam judicia præcipitata, alia certè tanto majorem laudem merentur. Ut igitur Latinarum quoque Epistolarum editio maturetur (quam non paucis ad me scriptis augere potero) è re publica fuerit: erat enim Historiæ Litterariæ, præsertim in Galliarum regno, peritissimus, divinæ memoriæ, & commercii cum doctis, beneficio. *Laur. Pignorium* memorare neglexi, cujus exstat Symbolic. Epistol. liber, in quibus non pauca ad nostram notitiam facientia, ut Epist. III. de antiquitatis studii primis auctoribus, & XVI pro transalpinorum in litteris gloria contra Pythæum, & XXIII. quæ de Vincentio Pinello agit aliæque plures. Voluit vero illas dare auctiores, imò librum alterum similium Epistolarum pervenisse post mortem *Pignorii* ad Illustrissimum Dominicum Molinum, ab ejusq; hæredibus servari, eruditorum Patavinornm sermonibus intellexi. Exstant præterea non unius, sed plurium Epistolæ collectæ, & vel ad unum aliquem vel ad plures scriptæ. Quod superiori seculo *Aldus Manutius & Michael Brutus* fecerunt, ex quibus multa de rebus litterariis diiscere licet. *Melchior* quoque *Goldastus*, vir, si quisquam, publici boni studiosissimus anno seculi hujus decimo evulgavit Centuriam unam Epistolarum Philologicarum, ex quibus non parvam hujus notitiæ messem facere licet. At, sive ejusdem viventis adhuc opera, sive alterius, collectæ prodierunt nuper ex Cl. *Thulemarii* bibliotheca, clarorum & doctorum virorum ad *Goldastum* epistolæ, ex quibus longè plura hujus argumenti discere licet. Sunt enim à viris doctrina excellentibus Frehero, Schoppio, Rittershusio, Stuckio, Lingelsheimio, Wasero, aliisque scriptæ, fitque in nulla non mentio

mentio libri aut editi, aut ad editionem parati, memoranturque ſubſidia, quæ in elucubrandis operibus Auctoribus fuerunt ſubminiſtrata, de aliquibus etiam judicatur, & errores annotantur. Ut proinde utilitas libri (quem etiam ordo temporum probè obſervatus commendat) deſiderare faciat auctiorem eorum numerum ab anno undecimo ad vitæ ejus ultimum productum, ſed quem deſiderare tamen magis, quam ſperare liceat. Si tamen rectè memini, in Bibliotheca publica Bremenſi Tomum aliquem Epiſtolarum ad ipſum datarum me vidiſſe ante hos triginta annos memini, & habeo non paucas ejus ad Avum meum ſcriptas. In hac Academia, magnum quoddam ejus lumen, *Reinerus Reineccius*, priſcæ novæque hiſtoriæ peritiſſimus, edidit ad ſe ſcriptas Epiſtolas Cll. Virorum, *Gipbanii*, *Camerarii*, *Peuceri*, *Monavii*, *Caſelii*, *Sambuci*, *Duditii*, aliorumque, præter multas Illuſtrium & nobilium, easque inſcripſit hiſtoricas, ex quibus cum aliam notitiam, tùm operum ejus hiſtoricorum, & unde MStos codices nactus fuerit, diſcere licet. Seculi hujus anno XVI. illuſtrium & clarorum virorum Epiſtolæ ſelectiores ſuperiori ſeculo vel à Belgis vel ad Belgas ſcriptæ ex Bibliotheca Myliana prodierunt, cura *Danielis Heinſii*, cujus altera præfatio in talium Epiſtolarum laudem egregia eſt. Continentur autem in his Theologica, Politica, & omnem hiſtoriam litterariam ſpectantia non pauca, & de doctis eorumque libris judicia, merenturque in hanc rem inprimis legi *Bonaventuræ Vulcanii* & ad eum epiſtolæ. Ante annos viginti & tres *Simon Abbes Gabbema* Friſius Epiſtolas etiam illuſtrium & clarorum virorum à ſe collectas, & quidem ſecunda editione auctiores edidit, Harlingæ, in quibus multa noſtri argumenti, in

in Epiſtolis Caſauboni, Scaligeri, Canteri, ut & de editione Operum Ciceronis per Janum Guilielmum Lubecenſem, civem meum, ſingularia legere licet. Habemus etiam quasdam Collectiones Epiſtolarum Italicè ſcriptarum, à noſtro argumento non alienas. Inter *Bonifacii Vannuccii*, Protonotarii Apoſtolici, litteras Miſcellaneas, etſi plurimæ politici ſint argumenti, invenias tamen, quæ de *Caſa*, *Boccacio*, *Jovio*, *Baronio*, *Lipſio*, *Urſino*, *Majoragio* ſingularia doceant. In *Joſephi Baptiſtæ* epiſtolis etiam quædam alibi non occurrentia legas de Italorum ſcriptis, & extat p. 352. de patria Ennii diſputatio. Inter eas, quas nuper *Antonius Bulefonius* typographus Luſitanus collegit & edidit, *Caſæ*, *Mercurialis*, *Velſeri* merentur legi, nec non *Galilæi* comparatio *Arioſti* & *Torquati Taſſi*. Magnam quoque notitiam doctorum virorum, & plurium quidem, & ſtudiorum quoque, hiſtoriam exhibent nobis Epiſtolæ eorum, qui per cultiores orbis partes peregrinati, ea, quæ obſervarunt, aut ſtatim ad amicos retulerunt, aut deinde publicarunt. Quamvis magna inter eos diſparitas, inque judicando vel acumen vel obtuſitas deprehendantur, aliter quoque juvenes ſcribant, & exteriora ſolum narrent, aliter viri & ſenes, inque interiora ſe penetrent, Scilicet, ut alibi, ita hic quoque delectus habendus eſt. *Joh. Clenardi* epiſtolæ, *Cluſii* ope, auctiores editæ, lectu mihi ſemper digniſſimæ cum multis aliis de cauſis viſæ ſunt, tum quod in illis Hiſpaniæ Luſitaniæque ſtudia, qualia tum fuerunt, expoſita, viroſque doctos memoratos legam. *Samuel Sorberius*, variæ eruditionis vir, noſtro hoc ſeculo inſtitutis per Belgium & Angliam peregrinationibus, ſub forma deinde epiſtolarum, quæ ad Statum litterarum & eruditos viros pertinentia obſervavit, accurate annotare & publi-

care non neglexit. Et altera quidem ejus epiſtola *De l' Eſtat des ſciences en Hollande à Monſieur de Bautru.* a.1660. ſcripta, uti multa egregia de Medicis & Mathematicis Philologisque Belgicis habet, ita ab omnibus benè excepta eſt: altera vero de Anglis, non minus curioſa, ob liberius de cultisſima & ob ſcientiarum promotionem nobilisſima gente judicium, approbationem omnium non tulit, & à *Thoma Spratio*, oppoſita apologetica epiſtola, alioq; Anonymo, refutata eſt. Utraq; Gallica lingua à *Sorbierio* ſcripta, prior relationibus, litteris & diſcurſibus ejus n. V inſerta eſt, poſterior ſeorſim edita rarius haberi poteſt. Idem quoque in aliis Litteris & Diſcurſibus eodem anno editis Epiſt. 64. quædam ad Virorum Doctorum hiſtoriam pertinentia ad Guidonem Patinum ſcribit. Cujus filius celeberrimus *Carolus Patinus* in itineribus ſuis, antequam fixam Patavii ſedem acciperet, litteras etiam nonnullas ſcripſit, uberes doctrina eleganti, & relationibus de Viris doctis, & antiquitatum imprimis & rei nummariæ curioſis. Quintus jam agitur annus, ex quo lucem Hagæ Comitum vidit *Voyage de Suiſſes en douze lettres écrites par les Srſ. Reboulet & Labrune*, ſed prima tantum pars, in qua multa habentur egregia de viris doctis, etiam ſi aliorum ſcitu dignarum rerum major inſit copia. Neſcio, an ad has Epiſtolas referre debeam *Johannis Mabilloni & Michaelis Germani* Muſeum Italicum, in cujus prima parte Itinera Italica litteraria deſcribuntur, cum plurima de eruditis & libris relatione? Et ſic quoque celeberrimi *Burneti* relatio itineris ſui ad noſtram notitiam pertineret. In Epiſtolis, quas Cl. *Thomas Bartbolinus* parens publicavit, varia occurrunt de doctis, & eorum libris, relationes, non de medicis tantum, ſed quavis erudi-

tione claris. Et pertinent huc quoque *Benedicti Hopferi* Professoris Tubingensis Epistolæ, de viris eruditis, quos in Anglia, Gallia & Batavia salutavit, cum Maresianis à Cl. Rechenbergio editæ. Optandum vero esset, ut plures tales publicè exstarent.

P. 5. *Dionysius Petavius.* Rarius ille ipsos annos natales aut emortuales doctorum virorum, sed tantùm seculum, quo vixerunt, notat. *Philippus Labbæus* in chronologia sua Gallice scripta accuratius paullo eorum dies emortuales annotat, verum, ut semper plenus est affectuum & amari zeli, ita parcius memorat à Romanis sacris alienos, nec Bezam sine convitio, nec Salmasium sine ignominiosa comparatione dimittere potuit.

P. 7. *Henricus Ernstius.* Parum gratiæ vel à Florentinis vel à publico retulit, vir aliàs doctissimus, editione illius catalogi, quem ex pagellis cuilibet pluteo affixis, sine ulla codicum inspectione, eum confecisse observavi. At an. 40 seculi hujus Cl. *Lucas Holstenius*, cum Florentiæ aliquamdiu hæreret, quorundam librorum MStorum, magis rariorum, catalogum confecit, magna diligentia, & multâ eruditione, judicio simul de iis dato, an rari, an alibi extent, an editi jam sint: & duodecimo anno post Catalogum non MStorum tantum, sed Impressorum quoq; singulari cum cura confecit *Wilhelmus Langius* Danus; quibus duobus, favore Amicorum Florentinorum, usum me memini, cum ante hos pene triginta annos bibliothecâ illa, merito suo summè æstimandâ, frui benevolè concessum esset.

P. 8. *Alii omnium.* Possem multa de Bibliothecarum historia & catalogis ex propria annotatione & observatione adjicere, cum tamen illa magnam partem ab aliis occu-

pata videam, ne tam mea, quàm aliorum, huc attulisse videar, ad *Labbæum*, *Taisserium*, & *Morhofium* nostrum c. 17. Polyh. lectores remitto, qui simul de Scriptoribus illis judicat, & de MStis quoque codicibus cap. 7. agit.

Ibid. Alii denum historiam. Non injuria huc retuleris *Christophori Heidmanni* orationem de Bibliotheca Julia, hoc est, illa bibliotheca, quam Seren^mus Dux Br. & Lyneb. huic suæ Academiæ ante septuaginta circiter annos donavit, & ex aula in scholam migrare jussit, quæque hodieque à nobis studiosè, multò tamen aliorum donis auctior, in gloriam donatoris & publicam utilitatem asservatur. Quamvis enim numero MStorum, & multo magis editorum librorum, plerisque etiam medii ordinis, cedat, tamen habet inter MStos suos codices non paucos raros, imò rarissimos: nam & vetutissimum gentis nostræ Historicum, Arnulpho συγχρονον, Paderbornensem, qui Annales Caroli M. versu scripsit, ex nostro codice primus edidit *Reinneccius*, nec aliud quod sciam, toto orbe extat, Reinneccianumque exemplar secuti sunt Galli: *Leonis III. Epistolas* ad Carolum M. ipsi Romæ incognitas, genuinas tamen, ex nostris antiquissimis membranis primus edidit *Hermannus Conringius*: ne de *Reginonis de disciplina Ecclesiastica* opere, & *Gervasii Tilberiensis* fragmento, aliisque hinc descriptis quidem, sed alibi quoque extantibus, quicquam dicam: aut *Alberti Stadensis* MStum *Chronicon* memorem, quod à Reinero Reineccio ex Ranzoviana Bibliotheca primò publicatum, hic MStum cum auctario habemus.

P. 9. *Catalogi bibliothecarum privatarum.* Tantus earum hodie numerus editur, ut recenseri omnes nec debeant, nec possint. Eminent tamen præ ceteris *Adriani Pa-*

vii,

wii, Nic. Heinsii. Wilb. Goesii, Jac. Oiselii, in Belgio, ut venderentur, publicati, non copia tantum uberiores aliis, sed accurata quoque editionum annotatione meliores. Quibus merito addenda *Danielis Lipstorpii* Bibliotheca, Lubecæ ante aliquot annos non uno catalogo publicata & vendita: item *Catalogo general de la Libreria del Sennor Don Diego le Arce y Reinoso Obispo Inquisidor General en todos los Reinos*, in quo multi Auctores Hispani, & Hispanica lingua scripti, JCti & Historici imprimis, quorum alias vix ulla notitia, accuratè annotatis editionibus, memorantur. Editus est Catalogus Madriti 1666. Omnibus vero his sine dubio palmam præripit *Bibliothecæ Thuaneæ Catalogus*, plurimis & selectis libris abundans. Magnum habuit dominum, virum nunquam satis laudandum, *Jacobum Augustum Thuanum*, perque celebres illos fratres *Puteanos* factus, & magna diligentia secundum scientias & artes à Cl. *Ismaele Bullialdo* digestus, tandem à *Josepho Quesnel* publicatus est. Habet vero non hoc tantum singulare, quod secundum argumenta librorum egregiè & cum judicio dispositus est, sed etiam secundum seriem temporum Græci Latinique Theologi, Romanarum item, Germanicarum & Gallicarum rerum scriptores collocati sunt. Neque tamen vitari errores in majori opere potuere. Non pauci enim à me notati sunt, & id observatum, Autores diversos, qui simul editi, imò, qui forte tantum uno codice simul compacti, tanquam unius Autoris & eodem tempore impressos recenseri, evidenti signo, non satis inspectos esse ipsos libros. P. 150. *Henrico Meibomio*, avo meo, tribuitur liber de ortu & occasu monasteriorum, qui tamen debetur *Henrico Petrejo* celebri JCto, cujus nomen avus meus apposuit, quando eum cum Chronico suo Riddageshusano

husano edidit. Pag. seqv. Murensis Monasterii in Helvetia origines cum Aurea Bulla Andronici Imperatoris editas notat, cum semel tantum illæ & quidem Spirembergii seorsim, nunquam cum Androniciana bulla, quam Avus meus Helmæstadii publicavit, editæ sint. Fortassis igitur eodem codice compactæ fuerunt. At quid hoc est, quod p. 309. inter historias particulares provinciarum & urbium regni Neapolitani collocatur *Justi Pertuchii chronicon Portense* de veteri & nova porta? quod quidem Lipsiæ sec. hujus an. 20. editum de illo monasterio virginum agit, quod à Brunone Comite terræ Plisseusis a. 1127. fundatum, & post varias mutationes in celebrem juvenum scholam conversum, tantum à Neapoli, *quantum Hypanis Veneto distat ab Eridano*? An in manibus fuerunt *Camilli Peregrini* due discorsi d' un antico significato de nome Porta & dell' antico suo sito di Capua, & proinde *Pertuchio* non minus, quàm huic, inter Scriptores Neapolitanos locum dederunt? Sed nolo ego errorum occasionem detegere, nec tamen etiam plures à me notatos adducere. Manet enim huic catalogo suus præ aliis & honos, & pretium.

P. 11. *Biennio post.* De *Stephanis* multa dici possent, nisi *Almelovius*; & de aliis Typographis, eorumque catalogis, nisi omnia occupasset *Bailletus* in libello: *jugement des Principaux Imprimeurs.* Pertinet vero huc quoque *Elenchus librorum sive typis, sive impensis S. Congregationis de Fide propaganda impressorum*, qui modo in ea Typographia reperiuntur, editus per *Joh. Dominicum Venisium* a. 1639.

P. 12. *Indices librorum prohibitorum.* Cum multa de illis, singularibus quoque libellis, exposita sint, nihil addam. Hoc tamen silere non possum, uti ex illis *Indicibus* notitia

notitia scriptorum aliquo modo augeri potest, ita ipsam prohibitionem librorum notitiam eorum plurimum impedire apud eos, quibus prohibentur. Et sanè hoc intendere quoque eos inter alia, ut memoriam eorum, quos hæreticos credunt, aboleant, famamque & gloriam cum libris tollant, notum est, & nimis candidè fatetur *C. Schioppius in Scaligero hypobolimæo. p. 294.* Quod sanè non minus intolerabile est, quàm, quod illis, quos hæreticos judicant, doctrinam quoque abjudicant, & in suis scriptis, Theologi præsertim, citare eos non audent. Quid enim absurdius, quàm quod *Jul. Cæs. Bulengerus* Doctor Sorbonicus & in Academia Pisana Professor, de *Josepho Scaligero*, à quo *nil nisi magnum & incomparabile prodisse* antea scripserat, hæc lib. XII. historiar. sui temporis subjungit: *si pie de fide Catholica sensisset, nullum à Varrone & Julio Cæsare felicius aut omnium literarum capacius ingenium fuisse pronunciarem?* Si enim literarum capacitas à fide, quam habet, dependet, quid fiet gentilibus, quid Varroni & Julio Cæsari, quibus æquiparare illum alias vellet? Bonum vero factum, quod prudentiores nostro seculo plerique sunt, & succus ille loliginis paucos intra ordines hæret, eruditionemq; non certis nationibus, non ordinibus, non unius Ecclesiæ limitibus concludi sciunt. Commercia igitur librorum libera quoque esse, & pervenire scriptores ad omnes debent, qui omnibus scripti sunt.

P. 15. *Ipsimet librorum indices.* Taxat quidem hoc, tanquam vanum, *Bailletus*, quod Auctores ipsi librorum suorum indices confecerint: verùm, vellem ego, omnes, qui plurimis libris scribendis occupati fuerunt, id fecissent, magno inde in Notitiam Litterariam redundaturo emolumento. Nam & ita melius genuini ab adulterinis distingui

gui possent, interclusa imposturis via: & illi narrare etiam, quæ affecta habeant, & qua occasione unumquod scripserint, & quibus adjuti subsidiis, Auctores ipsi possent. Ita *Hieronymus*, postquam illustres Ecclesiæ viros, eorumque scripta, enumeravit, suorum quoq;, quæ in illum usq; annum scripserat, indicem subjungit: cujus exemplo *Sigebertus Gemblacensis* idem egregie fecit. Nec desunt nostri ævi exempla. *Thomas Campanella* in syntagmate ad Naudæum non tantum omnium librorum suorum numerum patefecit, sed & tempora & occasiones scribendi, quæ in adolescentia & fervore studiorum, quæ in juventute, quæ in ætate virili, in carcere, in senectute scripserit, laudabili exemplo, exposuit, quamvis, qui illum secutus sit, vix inveniam. Indices tamen nudos operum, signatis editionis annis & locis, affectorum quoque, ediderunt plures, *Erycius Puteanus*, *Fortunius Licetus*, *Thomas Bartholinus*, *Petrus Lambecius*, *Johannes Launojus*, aliique.

P. 17. *Philippi Labbe Bibliotheca Bibliothecarum*. Non vidit illam *Voglerus*, non malè tamen judicavit, ex excerptis quibusdam, recenseri tantum in ea succinctè & nominetenus Scriptores, nec quidquam de modo, quo rem tractaverint, addi. Utilis tamen valde labor est, quamvis observaverim multos scriptores ab illo adduci, qui ad illud argumentum non pertinent, quique aliis potius nominibus & meritis, quam litteris & scriptis, illustrium, vitas tradiderint. Multos quoque libros illum non legisse, sed titulo deceptum, huc retulisse, ex non paucis locis apparet, uti, cum *Davidis Frölichii* viatorium his accenset. Neque vero erubescit, more suo in optimos quosque, imprimis in religionis capitibus à se dissidentes, odium suum effundere. Ut tanto magis laudandus sit, jam supra laudatus, *Anto-*

Antonius Taisserius, quod librum hunc ſublatis illis injuriis, inſigniter augere, &, ut ipſe computat, *mille ſeptingentos auctores* addere, *vitasque & orationes funebres mille ducentorum illuſtrium virorum* recenſere voluerit, notata etiam *plurimorum patria & profesſione* à *Labbeo* omiſſis. Liber certe hoc ſtudium amantibus carisſimus eſſe debet: quamvis alicubi, *Labbeum* ſecutus, ipſe errores corrigere neglexerit, ſuosque fecerit.

P.18. *Inſcriptiones porro.* Pertinet huc liber, cui titulus, *Variorum in Europa itinerum deliciæ*, quem tertia parte auctiorem edidit ſeculi hujus anno ſexto *Nathan Chytræus*, quo per totam pene Europam collecta monumenta publicat, & unde ea acceperit, exponit. Quamvis autem ibi plurimæ habeantur inſcriptiones templorum, palatiorum, tribunalium, armamentariorum, pontium, quæ huc non pertinent, tamen multæ etiam ſunt ſepulcrorum inſcriptiones & epitaphia, inque iis doctorum & litteris illuſtrium virorum. Inſcriptiones Witebergenſes edidit aliquoties CL. *Andreas Sennertus*, nec minus collectæ ſunt *Lipſienſes* & *Jenenſes*, quæ propter variorum doctorum ibi ſepultorum notitiam evolvi debent. Imprimis autem, ſi non alia, emortuales tamen dies vel anni ex illis, majori certitudine, haberi poſſunt. Ubi tamen conſiderandum eſt, an Inſcriptiones, illo ſtatim tempore, quo mortui & ſepulti ſunt, factæ ſint, an aliquo tempore poſt, & quidem diu ſatis, faciliore tum errore. Unde Criſpus in vita Sannazarii contra lapidis ſepulcralis poſt annos aliquot poſiti fidem, biennio ſerius eum mortuum asſerit. Vide *Additioni di Lionardo Nicodemo alla Bibliotheca Neapolitana* p.33.

P. 19. *Inscriptionum veterum.* Has à *nostro negotio planè alienas* scribit *Voglerus*; notandum tamen, si quis notitiam suam litterariam ad omnes prisci ævi doctos extendat, posse etiam aliqua ex illis disci, quamvis de scriptis eorum nihil. Nam & in illis memorantur Oratores, Rhetores, Grammatici, & Medici non pauci. Et nuper admodum ex Smyrnæo marmore *Marci Artorii*, Augusti Cæsaris Medici, memoriam renovavit post tot annos, & amplo commentario marmor ipsum, ex ruinis disjectæ terræ motu urbis superstes, & à se coëmptum, illustravit celeberrimus *Car. Patinus.* Prodiit vero jam diu exspectatum Cl. *Reinesii* Inscriptionum opus, cujus meminit, & in eas commentarius, magno cum bono publico, nihilque nunc magis optandum est, quàm ut eæ quoque, quas magno labore & summo judicio Illustris *Marquardus Gudius*, erudito orbi nimis cito ereptus, congesserat, ex ejus MStis in Daniam delatis edantur: nam & in quibusdam illarum è marmoribus recte describendis me ipsum juvisse lætus recordor, cum ante hos pene triginta annos antiquum Latium simul lustraremus.

P. 20. *Epicedia & Orationes.* Juvant sanè illæ hanc notitiam plurimum, ideoque earum indices tam studiose confecit *Taisserius*, illarumque beneficio *Melchior Adamus*, *Theophil. Spitzelius*, *Henningus Witte*, aliique, doctorum vitas conscripserunt. Id tamen dolendum, cum orationes in laudes defunctorum recitentur, programmata quoque eorum honori publicentur, non nisi laudabilia quæque vitæ ex illis haberi posse, vitia vero eruditorum, (quæ ad historiam non minus pertinent) aliunde discenda esse. Parum enim abest, quin cum *Livio* l. VIII. c. 40. *vitiatam memoriam funebribus laudibus* credam

dam. Interim de illorum ſtudiis, libris editis, edendisque multa plerumque nos docent: quamvis non omnes ejusdem ſint commatis, & quædam jejunæ ſatis & ſteriles, aliæ ſucci plenæ, & bonarum rerum fæcundæ, negotio noſtro magis inſerviant. *Caſeliana* Epicedia doctis viris conſecrata imprimis hîc laudari merentur. Magni Theologi noſtri *Martini Chemnitii* vitam ita enarravit *Job. Gaſmerus*, ut egregiam ſimul de ejus laboribus, & libris in Eccleſiæ commodum ſcriptis, narrationem contexat. *Balthaſaris Venatoris* Panegyricus *Jano Grutero* dictus tam egregiè illius vitam explicat, ut in exemplum proponi poſſit, tam multa in eo ſunt præclaræ notitiæ.

Ibid. *Programmata.* De illis dicam aliqua ad cap. XXV. ubi de Doctoribus Academicis.

P. 21. *Imagines.* Eo pervenit curioſitas hominum, ut non ſcripta ſaltem doctorum, hoc eſt, mentis & ingenii ſimulacra, ſed faciei quoque lineamenta, hoc eſt, imagines cognoſcere cupiamus. Quæ, ut hodie multorum libris eleganter præfiguntur, ita & olim *cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum* ex *Seneca* diſcimus, habemusque ab antiquisſimis temporibus doctorum imagines ex marmoribus, gemmis, nomiſmatibus, addo etiam, libris antiquis expreſſas. *Fulvio Urſino* magna hic laus debetur, cujus extant Illuſtrium imagines à *Theodoro Gallæo* delineatæ, & in æs inciſæ, numero plures, quibus tamen deeſſe aliquas *Seguinus* obſervavit, alteram vero partem locupletiorem ex nummis erui adhuc poſſe & ad publicam elegantiam exponi, notavit Illuſtris *Spanhemius*. Commentario Italicè ſcripto eas illuſtrare ipſe *Fulvius Urſinus*, Latino *Caſp. Schioppius* aggreſſus eſt, ex quibus duobus natus deinde eſt, qvem habemus,

 Job.

Joh. Fabri, Bambergensis Medici, insignis commentarius. Bene etiam meritus de publico est *Leonardus Augustinus*, dum in suo opere gemmarum & sculpturarum antiquarum depictarum, tam multas illustrium imagines publicavit, quod ante sexennium ex Italico vertit in Latinum sermonem Cl. *Jacobus Gronovius*. Quamvis enim inter Illustres illos viros pauci litteris & scriptis clari ad nostrum argumentum pertineant, sunt tamen utique nonnulli celeberrimi & Philosophi & Oratores, & Medici & JCti apud *Fulvium*, & Cicero, Seneca, Virgilius, Homerus, aliique apud *Leonardum*. Pertinentque huc etiam *Græciæ Sapientes* Patavii, nescio cujus opera, ære expressi, & Johanni Cottunio dicati. Inter Pontifices Romanos plurimi scriptis celebres fuere, ut ex *Lud. Jacobi* Bibliotheca Pontificia patet: horum vero Imagines, curante primum supra dicto *Fulvio Ursino*, dein *Joh. Baptista de Cavalleriis*, ex sepulturis, picturis & musivis antiquis, numismatibusque collectæ, & eleganter æri incisæ sunt; reliquorum vero à Martino V per *Claudium Molinettum* ex nummis expressæ, & publicatæ sunt. Postquam vero cum Typographia, vel ante eam, Ars cælandi in ligno vel ære frequentari cæpit, longè quoque frequentius doctorum virorum imagines sculptæ sunt, extantque seorsim longè plurimæ, & conjunctæ quoque multæ, ante *Boissardum*, editæ sunt. Ejusdem enim, quem supra memoravimus, *Theodori Gallæi* opera Effigies 51 doctorum, qui bene de studiis litterarum meruerunt, cum singulorum elogiis, superiore seculo finiente; nostri vero duodecimo, effigies triginta novem virorum litteris illustrium per *Dominicum Custodem* Augustæ Vindelicorum ære expressæ sunt. Ante quos *Henricus Pantaleon* Prosopographiam virorum illu-

strium

ſtrium, figuris ligno inciſis, Baſileæ ediderat, & *Paullus Jovius* & *Nicolaus Reuſnerus* Imagines virorum litteris illuſtrium, qui multa ex *Jovio* habet. Verùm, cum & illi modò memorati, & præterea *Joh. Imperialis* in Muſæo ſuo, & *Jac. Phil. Tomaſinus* in Elogiis, & *Joh. Meurſius* in Athenis Batavis, & *Janus Nicius* in Pinacotheca, & *Theoph. Spitzelius* & *Carolus Patinus* in Lyceo Patavino, aliique, & nuper *Freberus*, non nudas tantum imagines, ſed etiam elogia & vitas adjecerint, alius dein amplior de iis agendi locus occurret. Illas tamen etiam, quæ ſeorſim magno hodie numero haberi poſſunt, Doctorum imagines, in uſum notitiæ litterariæ, colligere proderit, cum plerumque aliquid de officio & ætate circa effigiem notatum ſit, aut de obitu quoque, ſi poſt eum publicatæ. Id tamen dolendum, multas valde ineleganter eſſe expreſſas, non paucas etiam nihil minus referre, quam eorum, quorum traduntur eſſe, imagines, ut *Pantaleonis*. Nec tamen idcirco rejiciendæ omnes ſunt. Nam & jam olim de Homeri imagine conqueſtus eſt *Plinius*, nullam reperiri veram & naturalem, multas autem eſſe fictas ad ornamenta bibliothecarum, additque: *etiam mentiri clarorum imagines erat aliquis virtutis amor.* In univerſum autem nulla imago veritatis aſſequi poteſt decus, ideoque contenti eſſe cogimur, ſi aliqua ſimilitudo intercedat. Qvoniam vero dixi, quod nummis olim expreſſi quoque fuerint vultus litteris clarorum virorum, & hodieque nonnulli ex eruditis in iis compareant, ut *Actius Sincerus Sannazarius*, *Picus Mirandulanus*, *Hugo Grotius*, *Renatus Carteſius*, *Gvido Patinus*, aliique, hos aſſervare diligenter debemus.

P. 29. *Ephemerides eruditorum.* Quàm laudabile inſtitutum illud ſit, quantumque notitiæ librorum acqui-

rendæ conferat, quod ab annis non ita multis, ſingulari quaſi fato, per cultiores Europæ partes omnes, eruditis placuit, nec paucis à me exponi poteſt, nec multis debet, quoniam libellorum illorum citisſima diſtractio ſatis loquitur, quàm grati omnibus, quamque utiles ſint. Laudat *Voglerus* merito illas paucas Ephemerides Gallicas, à *Nitſchio* verſas, quas legit, longè magis id facturus, ſi ad noſtra usque tempora vixiſſet, & Acta quoque eruditorum, quæ in Germaniæ noſtræ gloriam, Lipſiæ ab eruditisſimis viris tanta diligentia & accuratione ſingulis menſibus adornantur, & Latina quidem lingua, ut in totum orbem redundent commoda, publicantur, legere licuiſſet. Diſſeruit autem de illis copioſe *Bailletus*, nec non *Morhofius*. c. XVI. Ex eo autem tempore celebrari quoque cæperunt *Parmenſes* & *Amſtelodamenſes*. Qui *Parmenſium* auctores ſunt, multam eruditionem, variamque, & ſolidum judicium ſatis oſtendunt, & non tantum Medicas, Phyſicas, Mathematicasque obſervationes elegantisſimas producunt (quod ad noſtrum tamen inſtitutum nihil facit) aut antiquitates quasdam noviter repertas publicant, ſed etiam libros ad ſe allatos diligenter recenſent, & judicium aliquando interponunt, & de virorum eruditorum, ſi obierint, vita & libris quædam adjiciunt. A. 86. operam ſuam inchoarunt, & ſingulis annis libellum aliquem ſub nomine *Giornale de' Letterati* publicarunt. Optandum proinde, ut viri præſtantisſimi, quorum merita notiora ſunt, quàm nomina, in iſto publicum juvandi ſtudio non defatigentur. *Amſtelodamenſes*, quamvis illorum nomina etiam magnam partem lateant, inſignem gratiam Bibliotheca ſua univerſali Hiſtorica inierunt apud eruditos, dum & accuratè & plenè de libris referunt. Inchoarunt itidem

operas

operas ſuas a. 86. & ſumma induſtria uſi huc usque continuarunt, non per menſes, ſed annos ſuas relationes publicando, nec multos adeò libros ſed accuratisſimè, enarrando. Cumque poſt tot Ephemeridum Scriptores, huic rei manum admoverent, viam tenere mediam, periculo vacuam, publicis tamen uſibus maximè accommodam, voluerunt, & nec laudare quenquam nec reprehendere, ſed ſententias tantum auctorum nudè & ſimpliciter referre, ut ipſi Hiſtoricæ Bibliothecæ nomini ſatisfieret. Neſcio tamen, an Tom. X. A. 88. huic propoſito ſatis inhæſerit, qui ſe autorem nominat, *Johannes Clericus*, Vir Cl. dum Tomos Rerum Germanicarum à me editos recenſet. Equidem, quod non contentus præfationes evolvere, tam multos ſcriptores legerit, & publicè recenſuerit, magnas ipſi gratias debeo. Optarem tamen, alteri reliquiſſet laborem hunc, & ſuum potius tempus in Theologicis libris & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptoribus enarrandis conſumpſiſſet. Neq; enim ſatis percepiſſe videtur, cur Monachorum, cætera licet ineptorum, & ſuperſtitioſorũ & barbarorum, de iis tamen, quæ in ſuis monaſteriis & vicinis terris & vel Epiſcopatibus, circa mutationes dominiorum, fundationes urbium vel cænobiorum, mortes & nativitates, & matrimonia, Principum illuſtriumque virorum, contigerunt, teſtium idoneorum, Annales, malè licet conſuti, nulla habita vel ſtyli vel ineptiarum quarundam ratione, integri & nulla parte mutilati, à doctiſſimis viris intra unius & alterius ſeculi decurſum, magno cùm applauſu & patriæ hiſtoriæ utilitate, editi ſint & publicati. Habent quidem ſemper pro captu lectorum libelli ſua fata, & de iis quisque pro ſuo judicat arbitrio: &, ut in eodem prato bos herbam, ciconia lacertam, avicula inſectum quærit

quærit, ita in edito novo libro unus hæc, alter alia vestigat, & ut scopo suo inservientia vel deprehendit vel non invenit, aut favore prosequitur, aut fastidio & contemptu ulciscitur auctorem. Qui tamen censendis & enarrandis libris operam impendere vult, pransus paratus accedere debet, & παιδεία prius aliqua illius studii, ad quod scriptor pertinet, instructus esse, ut propositum scribentis aut editoris rectè considerare queat. Doleo enim, *Clericum* alicubi non nisi ludicra aut inepta, aut de Episcoporum aut Abbatum imperitia quædam, prolixa narratione persequi, ea vero, quæ ad Saxoniæ antiquitates, Episcoporũ Principumq; succesfiones, cænobiorum aut urbium fundationes, illustrium genealogias, alibi non occurrentia in illis chronicis notantur, sicco pede præterire; quasi propter priora illa editio vel primò facta, vel denuo procurata, & non alia ratio fuerit, cur placuerint eruditis, & statim distractis exemplaribus, secundæ tertiæve editiones iterandæ fuerint. Id vero maximè miror, quosdam autores eo nomine vilipendi, quod particularia & singularia quædam habent, & quod non nisi bella vicinorum nobilinm erectionesq; monasteriorum narrent; cum ea propter imprimis illi libri ex situ & tenebris eruantur, ut patriarum antiquitatum & historiarnm nihil ignoretur, & gravissimæ sæpe controversiæ, post tot secula enatæ, lucem inde accipiant. Fateor, multa hîc referri, quæ ad omnium gentium palatum non sint, sed solos Saxones instruere & delectare idonea. Verùm cum in suis rebus curiosi sint, fuerintque Itali, Galli, Angli, & superiores Germani, cur non pari diligentia in rebus nostris utamur Saxones? Quid vero hoc est, quod de *Levoldi Nordbovii* Chronico Comitum Marcæ judicat, non nisi Comitum cum vicinis bella in iis memorari,

ri, & eventus particulares, qui neminem tangant, præsertim ex quo illa Domus exstincta sit. Exstincta igitur Comitum illorum domo cessarunt omnes de terris quoque illis quæstiones? Ego vero illo ipso tempore, quo altera editio *Northovii* erat sub prælo, paginas adhuc madentes celebri JCto Clivensi mittere coactus fui, ut in gravissima causa, & in summo tribunali Imperii ventilata, quædam ex eo excerperet, & produceret. Et hoc est illud *Chronicon Northovii*, de quo *Bœclerus*, idoneus judex, scribit, *in eo multa perexımia de rebus Germanicis haberi.* Verum abundare sinamus suo sensu *Clericum*, non inventurum temerè suffragatorem, cum hodie in docto orbe tot sint historiarum patriarum amantes, qui norint, quomodo ea sacra constent, & quanti usus sit, ipsos illos Annalistas & Chronicarios integros edi. Verba tamen, quibus relationem suam concludit, concoquere nequeo, & merentur tantò magis examen aliquod, quo plures viri egregii iisdem petuntur. Judicat nimirum, rectius fecisse Avum meum, si libros suos eo modo scripsisset, quo Reformatio Historiæ Anglicanæ à *Burnetto* composita est, rejectis scilicet ad finem libri iis documentis, quibus historia probatur. Res certè, quam ego indifferentem semper credidi, & in cujusvis arbitrio positam. Si enim lectores spectes, est fortasſis inter illos tenuis aliquis ingenii, infirmæque memoriæ, & confusi judicii, & multa simul mente versare non assuetus, qui ad calcem ista rejecta velit: alii vero obtigit mens sui semper similis, & pluribus simul perpendendis idonea, & memoria firma, & judicium solidum, qui suo statim loco posita documenta velit, ut quasi in arena ipsa examinare queat. Quid hîc faciendum? Imbecilline & nauseabundo stomacho, an sano & in-

tegro, ſe accommodabit coquus? Tardone ingenio, & obliviosæ memoriæ, an vero prompto & expedito, ſe attemperabit Scriptor? Equidem, vel miſereri hujus, vel gratificari illi, prout lubet, poterit. At vero magnum hîc latet myſterium, quod revelat *Clericus*. Ductus ille miſericordia hominum male informatorum, moneri eos vellet, ut poſtmodum eam methodum negligant, & in ſuis ſcriptis *le bon ſens & la nettete* ſequantur potius, quam talem litteraturæ affectationem. Minus ſcilicet affectat litteraturam, qui teſtimonia Scriptorum & documenta in calcem libri rejicit, quàm qui in ipſo curſu ſermonis ſuo loco tempeſtive eadem adducit; id quod hactenus ignoratum fuit. Infelices igitur illuſtres animas, *Herwartos*, *Freberos*, *Gewoldos*, *Goldaſtos*, *Chifletios*, *Conringios*, *Bœcleros*, qui ante mortui ſunt, quàm illud novum doctrinæ arcanum diſcere potuerunt! Nullo igitur poſthac loco erunt illorum libri, nihil in illis boni ſenſus, nulla elegantia, ſed meræ affectationes: imo non amplius Reverendiſſimi Epiſcopi & Principis FERDINANDI Monumenta Paderbornenſia eruditus orbis venerabitur, quia ad calcem libri, more Burnettiano, inſignia illa, quibus utitur, documenta rejecta non ſunt. Pudet plura addere: nec tamen, quæ ita durè ſine ulla cauſa ſcripta ſunt, ſine ſenſu à me dimitti debuerunt. Nec fortasſis tamen ex noſtris CLL. Viri, *Obrechtus*, *Schurtzfleiſchius*, *Sagittarius*, aut, Belgas inter, doctisſimus *Anton. Matthæus*, moniti alia ſequentur, & nova methodo poſthac utentur; nec Avus meus, ſi viveret, errorem illum coram tribunali *Clerici* deprecaretur. Ego vero illum, ut reſipiat, & viris non indoctis propter tales minutias negotium amplius non faceſſat, tantum remitto ad Præfationem in Regii Navarræ Gymnaſii Pariſienſis hiſtoriam,

magni

magni illius *Joh. Launoji*; imò, quia liber rarus apud nos eſt, quamvis ego quoq; metuam, ne cenſuram incurram, ipſa ejus verba, non in calcem libri rejiciam, ſed hîc integra apponam: Ego, inquit, *in orationis contextu refero verba ipſa, quibus ab Regina collegium fundatur & inſtituitur, & quibus à Pontifice collegium fundatum confirmatur, diverſa Regum diplomata, Senatus conſulta, & alia, quæ cum ad generalem, tum privatam collegii rationem, adminiſtrationem & celebritatem pertinent. Teſtimonia quoque inſero, quibus, quicquid eſt in elogiis fidei, ſuſtentatur. In Hiſtoria non tam quærendus eſt nitor ſermonis, quàm pondus auctoritatis. Carmen quidem & oratio ſummam, ut placeant, requirunt eloquentiam, non hiſtoria, quæ quoquo modo ſcripta delectat, ut ait Plinius Junior. Qui eundem verborum tenorem ſervare, filum idem orationis retinere, atque ita Lectorum gratiam accupari volunt, ſcriptorum teſtimonia vel apponunt ad margines, vel ad calcem operis ſui transferunt. Illorum factum & ſcribendi modum non redarguo, abſit; ſed non exequor: & cur non exequar, hæ me rationes impediunt. Dum ad margines apponuntur Auctorum teſtimonia, tunc adverſus librum fit quoque alius liber. Deinde, ſi quis rei, quam legit, probationem videre cupit, ei verſandæ ſemper erunt paginæ, revolvenda folia: quod laboris genus moleſtiam & negotium facesſit. Tum hæc ſcribendi methodus annis abhinc centum inducta eſt, nec adeo recondita, vel tantum habet myſterii, ut non potuiſſet in antiquorum mentem facile venire. Ad imitandum mihi propoſui Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum, cujus Hiſtoria ex variis Auctorum, qui antea ſcripſerant, fragmentis magna ex parte conficitur, & quò plura & majora ſunt fragmenta, eo pluris & majoris æſtimatur hiſtoria. Si agendo, quem-*

admodum agere constitui, decipior, bis rationibus deceptus sum. Quicquid in causa, Eusebius ab hoc errore me defendet. Obstabit antiquitas, ne me novitas incessat.

P. *Ibid. Ex altero.* Huc pertinent illi, qui de *Pseudonymis* & *Anonymis* libris egerunt, iisque suos veros patres reddere conati sunt, vel reddiderunt. Inter quos primum locum meretur *Vinc. Placcius* Hamburgensis, propter ingenium & judicium, summumque laborem, quem inter adversæ valetudinis maxima incommoda non fugit, laudandus, altera libri sui præstantissimi editione, superaturus seipsum. Laudandæ tamen etiam sunt *Joh. Deckheri* Imperialis Cameræ Judicii Spirensis Advocati & Procuratoris de illis egregiæ conjecturæ, tertia imprimis editione auctiores, *Vindingii* etiam, & *Bælii* Epistolis. Nec minus huc faciunt *Johannes Petrus Jacobus Villanius*, & ipse personatus, qui Centuriam & semicenturiam ejusmodi scriptorum sub tit. *Visiera alzata* seu, larva detracta, edidit. Ad Pseudonymos vero pertinent quoque Plagiarii, qui suum alienis libris præfigunt nomen, de quibus primus Cl. *Thomasius* egit, dein alii quoque, & nuper *Joh. Albertus Faber*. Exspectamus autem post hos, eruditissimi *Bailleti* de omnibus illis librum.

P. *Ibid. Demum qui vitas.* Occurrunt hic nobis multi βιογράφοι, qui tamen non uno & eodem modo id præstiterunt. Qui omnium eruditorum vitas, veterum recentiorumque tradiderunt, non reperio: nec labor esset unius hominis, nec unius operis argumentum. Alii igitur secundum nationes, & in illis vicissim secundum professiones, & vitæ genera, vitas doctorum conscripserunt, de quibus peculiaribus capitibus deinde agendum. Alii vero unius tan-

tantum aut alterius vitam ſibi exponendam ſumſerunt: Alii denique ſuam ipſi vitam deſcribere, vel memoriæ cauſa, vel in liberorum ſuorum, vel publicam utilitatem, ſuſceperunt. Inter eos qui unius alteriusve vitam expoſuerunt eminent, de Melanchtonis *Camerarius*, de Patris Julii *Joſephus Scaliger*, de Vincentii Pinelli *Gualdus*, de Peyreſchii *Gaſſendus*, qui quorundam etiam celebrium Mathematicorum Tychonis Brahæi, aliorumque vitas expoſuit, de Petri Puteani *Rigaltius*. De hoc vitas ſcribendi modo agit *Rolandus Mareſius* l. 2. Epiſt. 5. & iterum Epiſt. 25. ubi Germanos, in ea materia, ut in aliis, ferè περιέργους eſſe notat: quosdam enim eorum, de quibus ſcribunt, parentes referre, diem & aliquando horam, qua nati ſint, & talia, quæ in Regibus solùm & viris maxime illuſtribus requirantur: adducenda vero tantum eſſe, quæ ad rem faciant, de conditione fortunæ, de ſcriptis, & aliis rebus maximè notabilibus. Verùm, an parentes inquam omitti debeant, valde dubito; diem quoque natalem, ut emortualem, annotare omnino par eſſe arbitror: ad reliqua moderanda ſuum cuique propoſitum, & vitæ actæ varietas, conſilium dabunt. Neque tamen ſoli Germani ita in his περίεργοι ſunt, ſed ex aliis quoque gentibus numerare non paucos licet. Qui vero Vitas proprias ſcripſerunt, itidem nonulli extant, merenturque inprimis legi *Hieronymus Cardanus*, & *Jac. Auguſtus Thuanus*. Sanè, qui fiducia id morum potius quam arrogantia faciunt, in laude quoque dignis rebus, quas de ſe narrant, inveniunt fidem: in indifferentibus vero quis ſuſpectus habere eos velit, cum & ſcire omnia optimè potuerint, in mendacio verò pretium nullum? Imo ad vituperium pertinentia nonnulli de ſe ipſis narrare veriti non ſunt, uti quidem

dem *Dithmarus Mersburgensis* Chronico suo sub finem lib. IV. vita corporis & animi sui ita detegit, ut mirari satis nequeas. Superatur tamen à *Cardano*, qui ad stoliditatem usq; id facit. Interim tamen, quæ ab Auctoribus superstitibus eduntur vitæ descriptiones, suspectæ magis sunt illis, quæ post mortem inveniuntur, non publico destinatæ, sed in liberorum tantum usus consignatæ. Qualis est *Henningi Arnisæi*, insignis quondam apud nos Medici & Philosophi, ab ipso egregie, & satis prolixè concinnata, hactenus tamen non edita.

P. 33. *Seorsim.* Ante triginta annos *Johannes Kolmbergerus* in Statua Mercuriali Theologica, hoc in loco typis exscripta, enumeravit Scriptores, qui in libros sacros vel omnes vel quosdam commentati sunt: qui liber à conatu laudandus. At magis ad nostrum argumentum facit *Gvil. Crowæi Elenchus Scriptorum in S. Scripturam*, quo exhibetur eorum gens, patria, religio, librorum tituli, volumina, editiones variæ, Londini a. 1672 publicatus. Et quodammodo huc quoque pertinet *Dorschæi* vastum & insigne opus, sub titulo: *Biblia Numerata*. Commentatores omnes in Epistolas Petri videri possunt apud *Lud. Jacobi* Biblioth. Pontific. l. 1. p. 150.

P. 36. *Robertus Bellarminus.* Post *Bellarminum*, ejusque commentatorem *Labbeum*, prodiit ante quinque annos *Supplementum de Scriptoribus vel Scriptis Ecclesiasticis à Bellarmino omissis*, per *Casimirum Oudinum*, Presbyterum veteris instituti Ordinis Præmonstratensis. Jam tum tale quid tentaverat ipse *Labbæus*, & promiserat, post ejus vero mortem id suscepit & perfecit *Oudinus*, qui tamen non repetiit illos, qui *Bellarmino* & *Labbeo* jam dicti, nisi de noviter repertis eorum scriptis aliquid afferendum, sed illis intactos tantum proposuit, & quidem ad an. usque 1460, ubi

ubi in immensum se diffuderunt Scriptores Ecclesiastici. Est autem elegans hic liber, & imprimis in Autore laudandum, quod primò magna diligentia etiam latentes adhuc & nondum editos scriptores adjecerit, deinde, quod juxta temporum rationem accurrate eos collocarit, & denique à convitiis, Christiano homine indignis, *Labbeo* autem familiaribus, in dissentientes abstinuerit: adjectis insuper egregiis indicibus. Maximè autem hîc laudari meretur *Guilelmus Cave* S. Theol. Professor & Canonicus Windesoriensis, qui post *Tabulas Ecclesiasticas* & *Chartophylacem Ecclesiasticum*, utilia in hanc rem, sed compendiosa scripta, nuper *Scriptorum Ecclesiasticorum* Historiam Litterariam à Christo nato usque ad sec. XIV. amplo volumine scripsit, cui appendix de iisdem scriptoribus ab. 1300. usque ad an. 1517. per *Henricum Whartonum* adjecta. Ostendit autem *Caveus*, præter summam diligentiam, judicii sui vim plurimis in locis, &, quod imprimis ad nostrum institutum facit, non exemplo *Oudini*, recensuit tantum scriptores, sed illorum quoque vitas exposuit, & aliorum, suaque de illis judicia, & de editionibus quoque, protulit. Nuperrimè etiam *Ellies de Pin*, Theologus Parisiensis, novam Bibliothecam Scriptorum Ecclesiasticorum magno opere evulgavit; verùm, quia Gallicè scripta est, non ita omnium inservire usibus potest.

P. 37. *Patrologia.* De Patribus, qui vocantur, multi superiore & nostro hoc seculo scripserunt, & non tantum scripta eorum, vel editiones, recensuerunt, sed de Scriptorum genuinitate simul disputarunt: quorum ultimorum in hoc capite sub finem meminit *Voglerus*. Quoniam vero eodem opere utrumque non pauci præstiterunt, ego hîc de nonnullis eorum, qui utrumque fecerunt, differam. Qui Bibliothecas Theologicas ediderunt, & studii Theo-

Theologici recte instituendi methodum scripserunt, in libris quoque recensendis occupati sunt, & de iis judicant, ideoque legi merentur, ut *Gisbertus Voetius*, *Ludovicus Crocius*, *Joh. Hottingerus*, *Gerhardus Mejerus*. Maximè autem, & hîc in antecessum, laudari meretur viri optimi & doctissimi *Joh. Andreæ Bosii Schediasma* de comparanda notitia Scriptorum Ecclesiasticorum, in quo fusè & eleganter de omnibus his scriptoribus tractat, & nervosè judicat, pluresque *Voglero* intactos adducit: quem non vacat, nec lubet describere. Nec minus juvabit legere *Severini Waltheri Sluteri Propylæum Historiæ Christianæ*, ab eo scriptum, cum in Academia Rostochiensi Historiam Ecclesiasticam profiteretur. Inter eos, qui priorum seculorum Ecclesiæ Doctores enarrarunt, eminent *Joh. Hennichius* in Historica sua Ecclesiastica & Civili, in singulis seculis capite tertio id acturus, quod in primis egregiè cæpit, si vitam ulterius producere licuisset: *Augustus Varenius* in Rationario Theologico de scriptoribus Ecclesiasticis, cujus tamen prima tantum duo secula prodierunt, & nescio, an reliqua exspectare post mortem clarissimi viri liceat. *Joh. Christophorus Mehlfurerus* Onoldo-Francus ante annos viginti & unum Coronam centum patrum & doctorum Ecclesiæ scripsit, in quo ostendit eorum natales, educationem, res gestas, scripta tam genuina quàm supposititia: magna diligentia, & recentiorum testimoniis insigni copia adductis. Desinit in Bernhardo Clarævallensi. Ulterius progressus in *Abaco Patrum*, scilicet ad Lutheri usque tempora, vir doctissimus *Joh. Gotfrid Olearius*, amicus noster, & in supplementum Patrologiæ *Joh. Gerhardi* ordine alphabetico scriptores, eorumque optimas editiones, enumeravit. Elegans liber, quam-

quamvis alicubi forte quædam præviderit, & *Labbeum* sequendo in similes cum eo errores inciderit, ut notatur in *Additionibus ad Biblioth. Neapolitanam* p. 29. 40. & 93. quis enim in tanta varietate cavere sibi satis possit? Alii deinde post renatum Evangelium cum bonis litteris clarorum Ecclesiæ Doctorum labores & scripta memorare non neglexerunt. Quo & *Hermanni Hamelmanni* historia renati in Saxonia Evangelii pertinet, nec pauca in eam rem in *Chytræi Saxonia* leguntur. Exstant quoque *Theodori Bezæ icones*, id est, veræ imagines virorum doctrina simul & pietate illustrium, quorum præcipuè ministerio bonæ litteræ & vera religio instauratæ, additis eorundem vitæ & operum descriptionibus. Quibus jungenda *Friderici Spanhemii Geneva restituta*, seu oratio secularis in memoriam religionis apud Genevenses restitutæ cum iconibus Virorum illustrium, quorum opera præcipuè Deus collapsam religionem restituit. *Theophilus Spitzelius* in Templo honoris reserato L. Theologorum illustrium hujus ævi imagines exhibuit, deque illorum studiis, scriptisque, quâ editis, quâ ineditis diligenter egit. Nec minorem industriæ laudem merentur CL. *Henningi Wittenii* Memoriæ Theologorum nostri seculi. At majori conatu amicus noster, *Joh. Fridericus Hekelius*, Historiam universalem Theologorum Evangelicorum molitur, cujus sciagraphiam edidit ante annos 14, promittens præter vitas illorum, omnium quoque librorum ab ipsis hoc & superiore seculo scriptorum catalogum: cui proinde vitam & otium sufficiens apprecor. Verum ad illam Recentiorum Theologorum, eorumque scriptorum historiam plurimum conferunt Epistolæ, de quarum usu in universum disserui in principio horum Ad-

ditamentorum, nunc vero quædam ſeorſim de Theologicis Epiſtolis adjiciam. Eminent autem inter eas *Eraſmi Roterodami*, *Philippi Melanchtonis*, *Ludovici Vivis*, *Thomæ Mori*, junctim in Anglia editæ, & non tantum litterarum reſtaurationem, ſed & veræ doctrinæ docent, & per quos & quorum opera ſcriptisque id factum ſit. Pertinent etiam eodem *Jac. Sadoleti*, *Sepulvedæ*, *Lat. Latinii* Epiſtolæ. Nec parum ad notitiam hanc conferunt *Camerarii*, *Chytræi*, *Grynæi*, *Caſſandri*, *Huberti Langveti*, *Bongarſii*, & quas Lugduni ab Heinſio editas à Belgis & ad Belgas ſcriptas ſupra memoravi. Et legi quoque merentur *Cardinalis Oſſati* litteræ tomis duobus Gallicè editæ, in cujus lib. 7. de *M. Velſeri & Schioppii* contra *Bongarſium* molitionibus egregia habentur, defendente ejus innocentiam cardinale. Nuper etiam magno bono publico à CL. *Joh. Fechtio* editæ ſunt *Marbachiorum* Epiſtolæ, & accuratis Tabulis Chronologicis illuſtratæ. Quantum autem ad Hiſtoriam Reformationis tales Epiſtolæ conferant, patet ex Illuſtris *Seckendorffii* Lutheraniſmi hiſtoria, ad cujus veritatem contra Varillaſium aſſerendam editis ineditisque frequenter utitur. Illæ etiam, quæ altera jam vice, & ante hos 7 annos Amſtelodami auctiores editæ ſunt, præſtantium & eruditorum virorum Epiſtolæ Eccleſiaſticæ & Theologicæ, multum nos in hoc ſtudio juvant, & multorum librorum notitiam ſuppeditant, ſi præſertim cum illis conferantur *Hugonis Grotii* & *Gerb. Johannis Voſſii*, & *Barlæi* Epiſtolæ, & *Utenbogardi* Hiſtoria Eccleſiaſtica, Belgicè ſcripta. Nuper etiam incidi in *Petri Morini* Pariſienſis, Vaticani olim Scholaſtici & Secretarii, & Vaticanæ Typographiæ præpoſiti Epiſtolas, cum opuſculis ejus editas, Pariſiis. 1675, quæ notitiam noſtram illuſtra-

lustrare idoneæ sunt, dum de operibus Typis Vaticanis expressis, conciliis imprimis, agunt.

P. 40. *Hæresiarcharum.* Addi hîc meretur eruditissima dissertatio de Hæresiarchis ævi Apostolici & Apostolico proximi *Thomæ Ittigii*, quam superiori seculo evulgavit.

P. 43. *Antonius Garron.* Omisit hîc *Voglerus* celebris JCti *Francisci Hotomanni* descriptionem eorum JCtorum, qui à Pomponio memorantur: Quæ cum aliàs edita est, tum inter ea opuscula apparet, quæ à Francisco Modio recognita & Francofurti apud Joh. Wechelum a. 1687. in fol. edita, Barnabæ Brissonii Lexico Juridico adjecta sunt. Et pertinet huc Vita *Lucii Titii*, apud JCtos celeberrimi viri, quam ex Pandectarum libris edidit *Papirius Massonus*, in Regia & Senatu Parisiensi advocatus: idem ille, qui vitas *Jacobi Cujacii*, *Caroli Molinæi* & *Renati Choppini*, nec non *Petri Pythæi* elogium scripsit. Ab hoc Massono & aliis editas JCtorum, Gallorum potissimum, vitas recudi, sed cum egregio augmento & scriptorum indicibus, fecit *Frid. Job. Leicherus*. Superiori etiam anno, post tot alios, *Guilhelmi* Grotii de JCtis, quorum in Pandectis extant nomina, libellus prodiit, quo aliorum errores emendantur.

P. 47, *Joh. Antonides Vander Linden.* Quamvis liber ille aliquoties recusus & auctus sit, tamen emendare & adaugere decreverat Cl. *Georg. Hieron. Welschius*: & merito, nam plurimis adhuc abundat erroribus; ne de defectibus dicam, tot quotidie novis libris prodeuntibus, unde completus nunquam esse potest. Et vero quis nobis dabit catalogum illorum scriptorum Medicorum, quæ lingua Germanica, Gallica, Italica, Anglica, Belgica prodierunt & quotidie produnt longè plurima? Juxta materias & argumenta librorum index etiam aliquis adjectus est, qui

aliquatulum juvare curiosum potest. At longè præstantior *M. Lipenii* labor est, & cum fructu insigni conjunctus, ut carere jam *Spachii Nomenclatore* possimus.

P. 51, *Conringii Introductione*. Quæ sanè in illo genere, ceu ipse erat ingenio, judicio, & lectione infinita maximus, plane eximia est, & propter insignem usum subito distracta, ut alteram procurare editionem gener ejus, vir itidem doctissimus, *Guntherus Christophorus Schelhammerus*, amicus, & collega quondam noster, coactus fuerit, quæ multis additamentis, & judiciis de recentiorum Medicorum scriptis, egregiè adornata, accessionibus insuper similis argumenti librorum, à præstantissimis Medicis, *Bartholino, Castello, Rhodio*, aliisq; editorum, locupletata usibus publicis tanto aptior est: quamvis, quæ hodie juvenum multorum est socordia, aut ex pessimis præjudiciis nata superbia, vix cupiant scire, quomodo Ars à prima origine, per tot secula & à tam multis nationibus exculta, ad nos illo habitu, quo hodie conspicitur, pervenerit. Quod tamen id maximè necessarium sit, & in Arte Medica Experientia aliena carere non possimus, ideoque Auctorum, à quibus illa haurienda, notitia maturè paranda sit, supra in præfatione ad Additamenta hæc pluribus ostendi. Quibus nunc addo unius, sed viri gravis & doctissimi, licet non Medici, testimonium, *Ludovici Vivis*, qui lib. V. de trad. discipl. *Jam*, inquit, *artes ipsæ ne constare quidem possunt, si historiam sustuleris. Hippocrates, Galenus, & alii Medici, quàm sæpe historicos agunt: dum experimenta narrant. Ipsa adeo Medicina ex historia collecta est, sicut Plinius ex M. Varrone perbibet. Quot morborum genera, quomodo & ubi orta, aucta, compressa, sedata, memoria vetus prodit: sine quorum notitia manca est medicina, & potissima sui parte orba: quam ex tot undiq; experimentis necesse est colligi, ceu aquas pluvias stillatim.*

P. *Ibid.*

P. *Ibid.* *Seorſim.* Botanicam Bibliothecam *Joh. Antonius Bumaldus*, hoc eſt, *Ovidius Montalbanus*, an. 57. hujus ſeculi Bononiæ edidit, inſigni diligentia Græcos, Latinos veteres, Arabes, & Recentiores enumerans, editiobus quoque annotatis, nullo tamen vel temporum vel alphabeti in eorum collocatione habita ratione.

P. 51, *Joh. Henricus Meibomius.* Quid obſtiterit, quo minus ejusdem Opus de Vitis Medicorum, ad me unicum hæredem delatum, publicæ luci expoſitum ſtatim ſit, prolixè expoſui in Epiſtola, ante hos viginti duos annos ad maximum Medicum & Polyhiſtorem *Georg. Hieronymum Velſchium* ſcripta, quâ ipſum ſollicitavi de ſupplemento circa ſcriptores Arabes, (cum nec Parens meus in illis rectè ſeſe explicare, nec ego deficientia, partim propter defectũ ſcriptorum partim propter imperitiam linguæ ſupplere poſſem) cui humaniſſimè prolixa Epiſtola reſpondit, quã ſtatim in lectoris gratiam publicaſſem, niſi multa Arabica inſerta, à Viro hujus linguæ peritiſſimo, me id facere in hoc loco, propter Arabicorum typorum defectum, prohibuiſſent. Interim tamen *Hiſtoriam Medicorum Orientalium* eum elaboraſſe, ex *Memoria Velſchiana* ab eruditiſſimo viro, digniſſimo Welſchianorum MStorum poſſeſſore, *Luca Schrokio* Fil. publicata, diſco, quamvis imperfectum opus ſit, ſubſidiis fruſtra conquiſitis. Illuſtris quidem *Lambecius* humaniſſimis litteris ex Codicibus MStis Bibliothecæ Cæſareæ plurima ſubſidia mihi promiſerat. Verum, & ille Reip. litterariæ, quam à primis annis ad obitum usque præſtantibus ſcriptis juverat, nunc ereptus, & incomparabilis *Welſchius* tot operibus affectis, Notitiam quoque literariam plurimum illuſtraturis, omnium eruditorum & meo imprimis inſigni cum dolore, immortuus eſt. Quoniam igitur vitæ

ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam, malo equidem aliqua ſui parte imperfectum edere Parentis opus, quàm eruditorum diutius ſpem fruſtrari: Simulac igitur ab aliis laboribus otii nonnihil fuerit, huic operi & revidendo & augendo, & publicando me accingam.

P. 54. *Nec minus huc pertinet.* Liber quoque, quem *Meurſius* edidit de Theophraſti ſcriptis, omnino eſt hujus loci: item *Leonis Allatii* Dialogus, quem Socratis, Antiſthenis & aliorum Socraticorum Epiſtolis an. 1637 Pariſiis editis, adjecit.

P. 61. De *Mathematicis.* De iis, qui obſervationes Aſtronomicas ediderunt, à prima origine ad noſtra usque tempora, agit *P. Gaſſendus* in præfatione librorum, quibus Tychonis Brahei aliorumque Mathematicorum vitam exponit.

P. 63. *Multo fuſius id egit.* Qui methodos legendi hiſtorias ſcripſerunt, de Hiſtoricis etiam ipſis egerunt, & de illis judicarunt, ideoque tantum non omnes huc pertinent, *Petrus Angelus Bargæus*, *Job. Bodinus*, *Reinerus Reineccius*, aliique. Et plurimum quoque laudis merentur *Degorei Whear* Relectiones hyemales, de ratione & methodo legendi utrasque hiſtorias, civiles & Eccleſiaſticas, qui judicia quoque de illis habet; nullibi tamen vel plura adfert, vel lectu magis digna, quàm ubi de Hiſtoria Britannica ſect. 27. agit.

P. 64. *Job. Micrælii.* Sacros ille & civiles, & omnium nationum Hiſtoricos, etiam Indorum & Americanorum, enumerat, etiam particularium regionum & urbium ſcriptores, quod tamen copioſius de Germanis facit. At nuper inſigni labore & egregio ordine *Michael Hertzius* Notitiam Scriptorum rerum Germanicarum

quatuor

quatuor partibus ita plenè dedit, ut illi qui desunt, quique quotidie prodeunt, sine magna molestia addi possint. Ego quoque in *Introductione in Historiam Inferioris Saxoniæ* de Scriptoribus rerum Saxonicarum tam editis, quam ineditis, prolixè egi, addito de iis judicio, cum id ad utilitatem studiosæ juventutis pertinere semper arbitratus sim. Quo etiam pertinent ea, quæ in libello Germanico de Germanicis & Europæis Historicis commentatur CL. *Dan. Hartnaccius.*

P. Eadem. *Nec desunt.* Merentur legi, quæ de Historicis notat *Ludovicus Vives* libro V. de tradendis disciplinis. *Augustinus* quoq; *Mascardus* in longe præstantissimis quinque libris de Arte Historica, Italicè scriptis, dum Historicorum officium virtutes & vitia describit, simul eorum exempla adducit, & egregie de iis judicat. Dignus liber, qui in linguam Latinam translatus ab omnibus legatur. *Nob. Vicquefortius* in lib. II. de Legatis, parva, sed eleganti, digressione de Historicis quibusdam priscis & recentibus judicat.

P. Eadem. *Breve judicium.* Pertinet huc *Jugement sur les anciens & principaux Historiens Grecs & Latins, dont il nous reste quelques ouvrages* par MS. *de la Mothe le Vayer*: Et *Bibliographia Historico Politico Philologica: item Bibliotheca Politica contracta, hoc est, recensus & judicia de Scriptoribus Politicis, imprimis autem historicis.* Editæ simul Germanopoli 1677. Quamvis enim de Scriptoribus in omni ferè parte eruditionis in primo libro agatur, tamen de Historicis optima ibi habentur judicia, & sunt *Bœcleriana.* Non accepit quidem hic liber à magno illo viro ultimam manum (uti nec posthuma de Scriptoribus Græcis & Latinis commentatio, tribus annis ante edita)

& ex discursibus ejus à nonnemine congestus, est: tamen propter multa judicia, quæ acumen & gravitatem *Bœcleri* sapiunt, meritò æstimandus est.

P. 65. *Vossii*. Quamvis maximi ab omnibus doctis fieri debeant incomparabilis viri in nobili argumento labores, tamen negari nequit, multos errores in illis superesse, qui nunc quidem facilius adverti possunt, ex quo non pauci Scriptores & Scriptorum Catalogi editi sunt, quorum nulla Vossio notitia. Rectè igitur *Sandius* egit, quod ea, quæ ipse in Historicorum Latinorum opere annotavit, modestè exposuit, publicique juris fecit. Et sunt prætorea à me non pauca observata. Neq; enim in tali argumento aliter se res habet, estque ut errori, sic emendationi apud posteros, quotidie locus.

P. 66. *Eorundem*. Paragraphus ille huc non pertinet: neque enim agitur de iis, qui in Historicos commentati sunt, sed, si qui sint, qui Commentatorum in Historicos indicem dederint. *Marcelli* vero *Donati Scholia*, quæ anno demum quinquagesimo sexto hujus seculi edita putat, diu ante publicam lucem viderunt, & jam extant in Face Critica Gruteri.

P. *Ibidem*. *Mythologicorum*. Uti de his inter Historicos hîc agere placuit *Voglero*, sic fortassis de Fabulis Romanensibus, ut vocantur, hoc loco dici etiam aliquid poterit: de quibus & origine illius instituti Gallice primum commentatus est parvo, sed eleganti libello, celeberrimus *Huetus*, qui deinde in Latinam linguam translatus est: cui jungi meretur nobilissimæ fœminæ *Praschiæ* illorum examen, ante 7. annos Ratisbonæ editum.

P. *Ibid*. *Priusquam*. Ad Historicos pertinent quoque, qui Nummos, quâ antiquos, quâ recentes, in usum Historiæ

Hiſtoriæ collegerunt, ediderunt, eorumque icones & inſcriptiones explicarunt. Qui igitur illorum ſcriptorum catalogos confecerunt, hoc quoque loco memorandi fuerint. Et vero talis Index additus eſt *Dialogis Ant. Auguſtini* ab Andrea Schotto verſis: Cum autem quotidie numerus creſcat, plures collegit *Philippus Labbeus*, & in *Bibbliotheca* ſua *Nummaria* publicavit, quorum prior de antiquorum numiſmatum Scriptoribus & Interpretibus agit, poſterior de monetis, ponderibus & menſuris: qui libellus non tantum cum *Labbei* Bibliotheca Bibliothecarum, & cum *Taiſerio* editus eſt, ſed etiam cum *Seldeniano* de nummis libello. Multa quoque de iis habet in libro de Nummophylacio Luederiano, quod Hamburgi extat, *Rudolphus Capelle*. Non parum vero intereſt, eo in genere optimos quosque noſſe, & fide dignos, qui genuinis & antiquis nummis uſi, non falſos ſuppoſuerint, aut ex ingenio effinxerint, nec incurioſe depinxerint aut deſcripſerint. Ideoque etiam *Anton. Auguſtinus* Antiquitatum in Nummis Veterum dialogo XI. de illis, qui tum exſtabant, judicat, ſed paucis: at pluribus Cl. & rei nummariæ peritiſſimus vir, *Carolus Patinus, in Introductione in Hiſtoriam Numiſmatum*, Gallicè primum & dein Latinè edita, cum ſcripta eorum recenſet, tum de iis judicat: qui etiam cap. ſeq. Cimeliarchia Nummaria, cum Principum, tùm privatorum quoque, per totam Europam enumerat, optimo conſilio. Uti enim propter libros Bibliothecæ, in quibus reconduntur, ab eruditis cognoſcendæ ſunt: ita propter nummos Cimeliothecæ: quos etiam ſub finem *Occonis* aucti de Impp. Romanorum Numiſmatibus Illuſtriſſimus *Franciscus Mediobarba Biragus* ordine alphabetico enumerat, agitque de illis etiam *Bodelotius*, in libro de utilitate peregrinationum.

P. 71. *Taciti sive Quintiliani.* Ad cujus exemplum suum Dialogum de Claris Fori Burgundici Oratoribus composuisse videtur *Carolus Ferretus.*

Ibid. *Hisce.* Pertinent hucquoq; qui eos enumerarunt, qui de Symbolis & Emblematisegerunt, sive ipsi ea invenerint, sive ab aliis inventa collegerint, sive de iis judicium tulerint: id quod pari diligentia & elegantia præstitit *Claudius Franciscus Menetrerius* libro *la Philosophie des images,* quorum primò Tomum unum, & sequente anno secundum evulgavit. Quibus anumeranda Nobilissimi JCti & Polyhistoris *Joh. Christ. Wagenseilii* elegans exercitatio, inter sex varii argumenti prima, quem honoris & amicitiæ causa hìc nomino.

P. 72. *Præcipue.* Qui de arte Poetica & Poëtis quocunque modo scripserunt, ita latè persecutus est Tomo IV Operis sui sæpius citati *Bailletus,* ut vix verbum addere audeam: cum & de Græcis & Latinis & Recentioribus agat. In quibus ultimis tamen, si Gallos excipias, parcior est, copiosius autem de illis egerunt *Olaus Borrichius dissertationibus* de Poetis, & *Dan. Morhofius* libro de Germanorum lingua & Poësi, uterque insignis poëta & varia eruditione conspicuus. Quibus addi meretur celeberrimi *Thom. Bartholini* Patris de Medicis Poetis libellus. De Anglorum vero celebribus Poëtis, qui à Wilhelmo Conquæstore usque ad Jacobum secundum, inclaruerunt, ante annos quatuor scripsit *Gvilielmus Winstanleus,* & patria, & omnibus ad viram eorum pertinentibus expositis, sed lingua patria, unde ad pauciorum notitiam pervenit.

P. 73. *Addi denique.* Et his quoque *Chr. Wasii* senarius, sive de legibus & licentia veterum Poetarum, Oxonii ante annos octodecim editus, addi meretur.

P. 78. *Optimos præterea.* Anno hujus ſeculi decimo ſexto vir in his litteris eximius *Gaſpar Schioppius* edidit Conſultationes de Scholarum & Studiorum ratione, in qua multa huc facientia, Autores vero linguæ Latinæ ſecundum ætates collocatæ, optimæ eorum editiones annotatæ, & Grammatici & Critici veteres & recentiores memorati ſunt. Quibus addi debet *Barthii* de ætatibus linguæ Latinæ judicium, & quæ alia habentur in Theſauro Philologico *Dilberri*, quasque noviſſimè antea laudatus *Ol. Borrichius* de iis publico dedit, Cogitationes. Bene etiam faciunt, qui Scriptoribus veteribus, quos edunt, diſſertationem de editionibus prioribus præmittunt, & quidem antiquiſſimis ſeu primis, quæ in Bibliothecis tantum latent, & de MStis quoque: hæc enim ad noſtram notitiam plurimum faciunt.

P. 76. *Lexicographos.* De Græcis Lexicis præter *Mausſacum*, elegans quoque extat Schediaſma doctiſſimi in his quoq; litteris viri *Joh. Henr. Bœcleri*, merenturque legi, quæ de iisdem, quibus ad Gloſſarium ſuum conficiendum uſus, diſſeruit *Carolus du Freſne*: ubi tamen plurimos alios, non lexicographos, ineditos inprimis, recenſet. Nuper vero etiam elegantem diſſertationem de Lexicis Græcis, quæ extant, edidit *Joh. Albertus Faber*. Et eſt in manibus quoq; *Olai Borrichii* de Lexicis libellus. Qui de Interpretibus ex una lingua in aliam ſcripſerunt, huc etiam pertinent. Id vero eleganter, omnibus pene omnium nationum claris & doctis interpretibus ad examen vocatis, præſtitit doctiſſimus *Huetius*: poſt quem legi meretur *Bailletus* Tom. II.

P. 78. *Criticæ amplitudo.* Qui adverſaria, antiquas & varias lectiones, caſtigationes, ſuſpiciones, ediderunt hactenus, in veteris ferè tantum ævi Scriptores Græcos & Latinos criſin ſuam exercuerunt: putavi autem ſemper,

illam crisin ad recentiores quoque, seu medii ævi scriptores, extendi debere, & id maximè ex usu quoque publico fore, non, quod in illis barbaris vocum & styli ratio habenda sit, sed rerum; vocum vero tantum, quatenus ab his res ipsæ dependent. Extant à Caroli M. ævo tot rerum Germanicarum, Francicarum, Anglicarum scriptores, qui ex MStis, vel non optimis, vel minus accuratè multis in locis descripti integrum sensum non exhibent, corruptis imprimis & mutilatis, locorum, hominumque nominibus, annorum item numeris. Extant cum illis Historicis edita quàm plurimorum Regum Principumque de rebus maximi momenti Diplomata, quæ non rectè descripta aut mutila intelligi nequeunt. Cur in his non sese exercent Critici? Cur non ex aliis MStis, passim adhuc extantibus, aut ex similibus aliorum Scriptorum locis, aut ex ingenio fit emendatio? Cur non his verisimilium, suspicionum, conjectaneorum libri implentur? Equidem, qui Historicos illos ediderunt, interdum variantes lectiones ex MStis adjecerunt, aut ex ingenio emendationem apposuerunt; quoniam tamen hujusmodi libros, uti classicos Auctores veteres, recudi iterum iterumq; publici usus non est, in tales observationum singulares libros, quicquid ad hanc rem pertinens notatur, congeri optimum. Et fateor mihi à multis annis in Historicis Germanicis, partim cum MStis collatis, partim aliorum Historicorum ope examinatis, longè plurimas esse natas observationes, etiam in Diplomatibus, quæ integros implere libros possent; quorum etiam, cum publico utiles judicem, aliis laboribus minus occupatus, nonnullas aliquando edam.

P. 79. *Germanica aliisque gentibus vernacula lingua.* De iis, qui Germanicam linguam scriptis suis illustrarunt,

&

& ad ejus notitiam aliquid contulerunt, prolixe egit, insignis JCtus & Philologus noſtrâs, *Schottelius*, in magno opere de patria lingua, cui addendus *Morbofius* libro citato.

P. 82. *Typographia*, Jam tum ſupra ad cap. III. de Typographis dictum eſt. Pertinet vero huc *Johannis de la Caille* Typographiæ hiſtoria, & Typographorum, ubi de illius origine, & horum primariis operibus diligenter agitur.

P. 84. *Jac. Aug. Thuanus*. Elogia illa in unum collecta à *Stockenio* partem *Thuani Enucleati* faciunt; ſeorſim vero, Gallicè cum ſupplemento, à *Cl. Taiſſerio* edita ſunt. In Gallorum elogiis accuratiſſimus eſt, in aliis nonnunquam fallitur, ſecutus aliorum fidem, relationes, & judicia, ſæpe præjudiciorum plena. Et in multis quidem *Scaligerum* ſecutus memoratur, qui non ſemper æquus alienorum operum æſtimator fuit. Unde graviter non tam de *Thuano*, quàm de *Scaligero*, queritur *Joh. Gerh. Voſſius*, cum in Epiſtolis ad Grotium, tum in præfatione librorum de Hiſtoricis Latinis, quod adeo iniquè de *Franciſco Junio*, ſocero ſuo, judicarit *Thuanus*, inductus à *Scaligero*: quamvis ſuſpicetur quoq;, à Genevenſibus fucum factum fuiſſe lectori, vel Italis potius, quorum in manibus liber, priusquam ederetur. Variant enim non parum editiones *Thuani*, ut diligentiſſimè peculiari libello oſtendit Gedani Cl. *Joh. Petrus Titius*: & legi in hanc rem merentur *Lingelshemii* & *Bochſtadii* ad Goldaſtum Epiſtolæ, cum is novam editionem Thuani, ſuppletam alicubi & correctam, moliretur: *Bochſtadius* vero errores quosdam ejus in virorum doctorum hiſtoria notat; quod & facit modo memoratus *Titius*.

P. 86. *Bibliotheca Rabbinica. Julius Otto Conradus* ex Judæo Chriſtianus, & in celebri Altorfina Academia Prof. P. anno 1605. librum edidit, ſub titulo: *Occultorum detectio*, cujus parte quarta recenſentur Rabbini, eorumque ſcripta & Talmudis autores. At pleniorem eorum hiſtoriam dedit *Julius Bartoloccius de Seleno* in Bibliotheca magna Rabbinica, de qua in Actis Erudit. Lipſ. ad anni 1686. menſ. decembrem agitur.

P. 88. *Ben Caſen.* De quo *Seldenus præfat. in Eutychium Alexandrinum*, mortem ejus referens ad annum 1220: qui etiam p. 156. notar. ad Eutychii origines, de ſtudiis Arabum multa habet, & quod Græcos ſcriptores in ſuam linguam tranſtulerint, exque illis Arabicis verſionibus primæ Latinæ factæ ſint.

P. *Ibid. Pauli Eberi Calendario Hiſtorico.* Ita *M. Widlerus* collegit Calendarium Eccleſiaſticum Reformatum, in quo conſignavit dies & annos S. Martyrum noſtro ſeculo, qui Eccleſias ſuo ſanguine rigarunt, obitus etiam doctorum virorum, qui ſcriptis, & viva voce eas plantarunt, de quo in Epiſtola ad Goldaſtum. An autem lucem viderit, neſcio. Pertinent huc etiam Cl. *Wittenii* Diarium Biographicum, novo induſtriæ genere confectum.

P. 92. *Alii.* Qui in illuſtri Academia Patavina floruerunt Doctores, non pauci enumerantur in Gymnaſio Patavino *Antonii Riccoboni*: ſcripta vero illorum plurima, quæ lucem nondum viderunt, diligentisſimè recenſet *Phil. Thomaſinus* lib. de Bibliothecis MStis Patavinis: nuperorum vero, anno 1682. Patavii publicè docentium, icones & vitas conſcripſit & edidit, tot aliis in remp. litterariam meritis illuſtris, *Car. Patinus*, parte priore, quæ de Theologis, Philoſophis, & Medicis agit, præmiſſa.

Ibid.

P. *Ibid.* *Bononiensium.* Jam tum supra memini *Ovidii Montalbani* Bibliothecæ Botanicæ; Is vero ipse diligentissimus Vir, etiam sub nomine *Joh. Antonii Bumaldi*, edidit anno 1641. *Minervalia Civium Bononiensium Anademata* seu *Bibliothecam Bononiensem*, in qua promiscue omnes Theologos, JCtos, Medicos & Philosophos Bononienses, eorumque scripta recenset, & sub finem catalogum antiquiorum pictorum & sculptorum Bononiensium addit.

P. *Ibid.* *Petri Diaconi.* Liber ille parvus quidem, sed elegans est, editus Lutetiæ 1666: Qui vero eum cum *Placidi Diaconi* auctario edidit *Joh. Baptista Marus* Romanus egregias etiam notas adjecit, & plurimorum MStorum in illis notitiam dedit.

P. *Ibid.* *Florentinorum.* Pertinet huc quoque *Benedicti Accolti* Florentini Dialogus de præstantia virorum sui ævi, ex Biliotheca illustris Magliabecci nuper editus, quamvis non scriptis tantum, sed alio quoque nomine, illustres referat. Exspectamus autem brevi *Johannis Cinelli*, editis *Bibliothecæ Volantis* partibus aliquot, & Hieronymi vita, jam tum de Historia Litteraria meritissimi, de *Scriptoribus Florentinis*, hoc est, iis qui in omnibus terris, sub Magni Ducis Hettruiæ imperio, floruerunt, opus, publicè promissum.

P. 93. *Ligurum.* Quem unum de illis recenset, *Ubertus Folieta*, librum suum in aliquot partes quasi divisit, & primò Divos & Principes, quos inter Christophorum Columbum etiam refert: deinde viros militari virtute illustres: denique pacis artibus & literarum commendatione insignes recenset, ex quibus ultimis aliquot tantum ad nostrum institutum faciunt.

P. *Ibid.*

Ibid. Romanos. Bibliothecam Romanam ſeu Romanorum ſcriptorum Centurias V ante novem annos edidit *Proſper Mandoſius*, Nobilis Romanus, Ordinis S. Stephani eques, nulla vel temporis, vel alphabetici ordinis habita ratione; in qua tam multæ ſunt egregiæ de doctorum editis & ineditis libris notitiæ, ut reliquarum, quas nobiliſſimus Auctor promiſit, centuriarum deſiderio tanto magis teneatur eruditus orbis. De Claris Brixienſibus ante annos ſex ſcripſit *Leonardus Cozandus*, & parte prima tacentorum ac viginti vitas, ſcriptaque expoſuit: de quo Actorum eruditorum Lipſienſes collectores ad Anni 1686 menſem Auguſtum agunt, aliosque hujus generis ſcriptores obiter recenſent. Bibliotheca Neapolitana *Nicolai Toppi*, quâ eorum, qui in regno Neapolitano ſcriptis inclaruerunt, opera edita, & inedita, & judicia de iis referuntur, huc imprimis pertinet: præſertim, ex quo illa tam curioſis obſervationibus ab Illuſtri primum *Antonio Magliabecho*, dein à *Leonardo Nicodemo* editore ante octo annos aucta & illuſtrata eſt, imo plurimis in locis correcta.

Ibid. Franciſcus Polla. An elogia ejus edita ſint, neſcio: egregia autem eſſe, ex iis, quæ in Fracaſtorio & Montano producit *Andreas Chioccus*, libro de Veronenſibus Medicis, judicare licet. Habuit vero etiam doctorum illorum virorum imagines in Muſeo ſuo.

P. 94. *Alphonſus Garcias.* Ejusdem de Viris doctis Hiſpaniæ enarratio Apologetica Compluti anno 1513. impreſſa extat.

Ibid. Gallorum. Claudii Eſpencæi de libris Francicis ſermones citari vidi, librum ipſum non vidi. *Stephanus Paſchaſius* l. 3. diſquiſ. Franc. c. 21. & 23. illuſtriores ſingularum Pariſienſis Academiæ Facultatum Magiſtros

ſtros enumerat. Ante annos novem Vir eruditiſſimus & φιλαληθέςατος *Job. Launojus* edidit *Academiam Pariſienſem illuſtratam*, cujus omnes partes lectu digniſſimæ ſunt, & ad Hiſtoriam literariam faciunt, tertia autem imprimis, quâ Scriptores CXXXIV, eorumque vitæ & operum indices exhibentur, tribus libris, quorum primus de iis, qui Primum Collegii ſeculum , alter de iis, qui ſecundum; tertius, qui tertium, & hujus excurrentis initium illuſtrarunt, agit, qui etiam de Scholis celebribus ſeu à Carolo M. ſeu poſt eundem Carolum per Occidentem inſtauratis librum edidit. anno 1682. *Gabriel* quoque *Naudæus* in libello de *antiquitate Scholæ Medicæ Pariſienſis* plures Medicos eorumque ſcripta refert. Pertinet verò huc non minus *Relation de l' Hiſtoire de l' Academie Francoiſe par M. P.* in qua Viri nonnulli eruditi ejus Academiæ, & eorum ſcripta referuntur.

P. 95. *Anglicos.* Extant *Florum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum libri VII.* autore *Richardo Smitheo*, Epiſcopo Chalcedonenſe, editi Pariſiis 1654. quibus non tantum præmittuntur Proteſtantium elogia de Catholicis & Proteſtantibus Scriptoribus, qui res Anglicanas tradiderunt, quorumque teſtimonio collector utitur, ſed etiam ſub ſingulis Anglorum Regibus, de iis, qui doctrina claruerunt , & ſcriptis, diſſeritur. Citatur autem ibi p. 13. *Wewerus*, qui librum ediderit, de Monumentis funebribus in Anglia, in quo ſint hiſtoricæ obſervationes, & breves notæ, collectæ ex approbatis auctoribus, infallibus regiſtris, calendariis, chartis, rotulis, & antiquis MStis & collectionibus judicioſorum Antiquariorum: qui liber huc omnino pertinere videtur; uti & *Antiquitates*

Britannicæ Ecclesiæ, in quibus de Septuaginta Cartuarienſibus Epiſcopis, inter quos plurimi ſcriptis quoque clari, agitur, & quæ de Oxonienſi Academia eruditiſſimè nuper commentatus eſt *Antonius Woodius*.

P. 104. *Weſtphalici.* De illuſtribus Viris & Scriptoribus Weſtphalis commentarium molitur Perilluſtris Dominus *Chriſtianus, Baro de Plettenberg*, maximè reverendis dignitatibus conſpicuus, & paterno maternoque genere ex prima nobilitate Weſtphalica oriundus.

P. *Ibid.* *Academiarum.* Caſpar Bartholinus anno 1609. orationem habuit de ortu, progreſſu & incrementis *Academiæ Regiæ Hafnienſis*, cui additus Catalogus Profeſſorum ab A. 1539. *Catalogum Profeſſorum Gryphiswaldenſium* à tempore Evangelicæ reformationis, totidem diſtychis, quot Profeſſores, comprehenſum, ſub nomine Proſopographiæ Metricæ publicavit *Joh. Heunius* : *Jenenſium Adrianus Bayerus*, qui malè *Mejerus* à *Taisſerio* vocatur: de cujus illuſtris Academiæ luminibus, maximè in Juriſprudentia, orationem anno 1590. habuit *Nicolaus Reuſnerus*. Prodiit etiam ante octo annos, cura Cl. Viri, *Magni Danielis Omeiſii*, liber ſub titulo *Gloria Academiæ Altdorfinæ*, in quo de illuſtribus ejus Doctoribus accurate diſſeritur, notæque elegantes adduntur. Imprimis vero in ſecularibus Academiarum orationibus præcipuos illorum doctores recenſeri deprehendimus. Id quod accuratè factum eſt ab *Argentoratenſibus*, ubi Chronologicus Index, ſtudio *Sebizii*, additus eſt concioni ſeculari *Smidii*. Wittebergæ anno 1612. orationem ſecularem habuit *Joh. Zangerus* JCtus, in quâ non nulla de ejuſdem Academiæ Doctoribus præclaris. Academia Roſtochienſis, cum anno

1629.

1629. ſuum Jubilæum celebraret, programmata & orationes eo facientes edi fecit. Id quod etiam ante quindecim annos in noſtra hac Academia Julia factum. Cujus tamen celeberrimos Profeſſores omnes, eorumq; vitas, recenſere occæpit, juxta quatuor, ut loquimur, Facultates, Venerandus collega noſter *Gebhardus Theodorus Mejerus*, expoſitis jam publico Theologis & JCtis; cui proinde ad abſolvendum opus, in noſtræ Juliæ gloriam, vitam longiorem & valetudinem integram apprecamur. Nuper demum celeberrimus Philologus *Joh. Georgius Grævius* oratione ſeculari in Ultrajectina Academia habita, plures ejus eruditos recenſuit & laudavit.

P. 107. ***Pontificibus.*** Ludocici Jacobi labor ſuum habet uſum, dum non tantum ſcripta Pontificum enarrat, ſed etiam in ſingulis Pontificibus eos, qui vitas eorum deſcripſerunt: illis verò, qui a pontificia doctrina alieni ſunt, ridiculo zelo, & usque ad ineptias moleſtus eſt, uti dum *Corberium* per calumniam *Cerberum* vocat: & hæreticorum morem eſſe ſcribit, falſis citationibus libros implere. Ipſe tamen, licet plurimis in locis, nullibi tamen gravius errat, quam ubi de Scriptoribus Proteſtantibus agit.

P. 109. ***Jeſuitis.*** Qui inter illos literati, magnis elogiis ornatos recenſet *Clarus Bonarſcius*, id eſt, *Carolus Scribanius*, in Amphitheatro honoris l. 2. c. 13. In *Hiſtoria* etiam *Societatis Jeſu*, multa de Sociorum libris & vita invenies.

INDEX CAPITUM.

XIII. E

INDEX SCRIPTORVM.

198

Guin-

Nitschius

Schiop-

INDEX SCRIPTORVM.

Udal-

FINIS.



202

